DELECTUS
OPUSCULORUM
MEDICORUM

ANTEHAC IN

GERMANIAE DIVERSIS ACADEMIIS

EDITORUM.

QUAE

In Auditorum commodum collegit, & cum notis hinc inde aucta recudi curavit


IOANNES PETRUS FRANK M. D.

R. & A. M. a Consiliis Gubern. Mediolanens. Facult. Med. per Insubriam Austriacam Praeses, Med. Clinicae Profess. P. & O. Academiae Reg. Scient. Goetting., Mantuanae, & Electoral. Moguntinae, tum Societ. Patriot. Mediolan. Sodalis.

VOL. IX.

TICINI.

IN TYPOGRAPHEO PETRI GALEATII
PRAESID. REI LITTER. PERMITT.
ANNO MDCCXC.



ELENCHUS.

ANDERS IAHAN RETZII

PROFESSOR R. D.

LECTIONES PUBLICAE DE VERMIBUS INTESTINALIBUS INPRIMIS HUMANIS,

QUAS HABUIT

IN MUSAEO RER. NAT. ACAD. LUNDENSIS

D. XVIII. MARTII ET SEQU. MDCCLXXXIV.

Holmiae, 1786.

PErmulta inter, quae oeconomiam univerſalem, magnum illud & nunquam ſatis mirandum Summi Creatoris inſtitutum reſpiciunt, attentionem ſane meretur noſtram, quod a maximo Cete ad Hydram uſque oculo inarmato vix obſervandam, omnia animalia ſuis gaudeant Paraſitis. Fateri quidem neceſſe habemus, quod finis huius ordinationis nos lateat, & reconditus forte ſemper manſerit; ſi vero attente, qui nobis patent, in naturae catena luſtremus articulos, omnis

alia conclusio evanescit, quam quod etiam hi res summe necessariae & quasi intermediae sint, quae si abessent, necessarius quoque in natura nexus tolleretur.

A multis retro, immo a remotissimis annis notum est, Animalia notiora proprios habere Parasitas, qui externam illorum superficiem inhabitant, rodunt, sugunt, & artificiosissimis suis instrumentis succum illorum hauriendo ex hoc vivunt. Horum alii non nisi in ea animalis specie cui assignati fuerunt, vitam agere possunt, alii vero diversum quidem habent habitaculum, prima autem quaque occasione homini vel alicui quadrupedi se affigunt, v. gr. variae Acarorum species.

Verum hi externis Animalium partibus tantum adhaerent, ideoque si non plane destrui, attamen multum minui potest eorum numerus.

Ab antiquissimis temporibus norunt homines, non solum sibi sed etiam Canibus & Equis vivos quoque intestinis inesse hospites, obscura licet, ne dicam confusa haec fuerit de illis notitia. Medici de morbis ex illis ortis tantum solliciti, omnem fere ulteriorem inquisitionem spreverunt, de veris notis characteristicis, de historia, de propagatione illorum vix somniantes. Nondum dimidia saeculi pars elapsa fuit, cum omnes vermium intestinalium species generatim pro ani-

malibus habitae ſint. Caput illis ad proxima uſque noſtro aevo tempora denegarunt. Species non ſolum inter ſe quam maxime, ſed cum peregrinis generibus confuderunt, e. gr. Aſcaridem lumbricoidem cum Lumbrico terreſtri, Aſcarides vermiculares cum Larvis caſeum inhabitantibus.

Celebris ille Italus FRANCISCUS REDI omnem ſane operam adhibuit, ut attentionem excitaret coaevorum in his indagandis; parum vero profecit. Inter eum enim & omnia ſcrutantem PALLAS intervallum fuit fere octoginta annorum, ſub quo in eodem propemodum ſtatu permanſerit vermium inteſtinalium cognitio. Verum poſt editam ab hoc illuſtri viro egregiam Diſſertationem *de Inſeſtis viventibus intra viventia*, mutata eſt facies. Ille enim multos clariſſimos Viros excitavit, & ab eo nova omnino in horum cognitione initium ſumit periodus. REGIAE autem SOCIETATI SCIENTIARUM HAFNIENSI reſervatum erat, maius in his lumen accendere quaeſtione praemio remuneranda ad aemulationem propoſita. Huic ni fallor debemus, quae intra ſpatium aliquot annorum prodiere egregia ſcripta PALLAS, BLOCH, MULLER, GOEZE, WERNER, quaeque inventa haud ſatis miranda offerunt. Docent nos horum libri, multis quatuor priorum Claſſium animalibus proprios plerumque inteſtinorum vivos eſſe hoſpites;

ſed docent ſimul, multa adhuc quaerenda ſupereſſe, quae vix ſomniaviſſemus, niſi horum inventis incitati. Horum egregiorum Virorum laboribus ſuffultus, iam tertia vice ubi Hiſtoriam Regni Animalis ad finem perducam, brevem *Vobis* Vermium inteſtinalium Hiſtoriam, praecipue Hominis, proponere volui, eo magis neceſſariam *Vobis* & utilem, quo certius eſt, *Vos* in ſcriptis Medicorum fruſtra illam quaeſituros.

Verum antequam ad ipſam tractationem me accingam, neceſſarium duco, *Vobis* brevem catalogum praecipuorum Librorum de Vermibus his tractantium exhibere, idque eo ordine fere, quo prodierunt. Superſedeo illos nominare Auctores, qui medice tantum vel pathologice & therapeutice de illis egerunt, tanquam a ſcopo noſtro alienos; nihil enim fere de Vermium characteribus vel oeconomia ſaltem certi & determinati apud hos invenietis.

Quos novi Auctores, ſequentes ſunt.

FRANCISCI REDI degli Animali viventi negli Animali viventi. Firenze 1684. 4.to

MARTIN. LISTER in VIII. Volumine Tranſaction. Philoſophicar.

EDWARD TYSON in XIII. Volumine Tranſact. Philoſoph.

CONTULUS degli Aſcaridi. Romae 1701.

ANTONII VALISNERI Conſiderazioni ed Eſpe-

rienze intorno alla generazinne de' Verni ordinarj del Corpo Umano. Padova 1710. 4.to

ANTONII VALISNERI Nuove Offervazioni e i Efperienze intorno all' ovaja fcoperta ne' Vermi rotondi dell' Uomo e de' Vitelli, ibid. 1721.

DANIELIS CLERICI Hiftoria latorum Lumbricorum. Genevae 1715. 4.to

GOTTL. POLYC. SCHACHER Differtatio de Taenia. Lipfiae 1717. 4.to

STEPHANI COULET Differtatio de Afcaridibus & Lumbrico lato. Lugd. Batav. 1729. 4.to

GUIL. EABRICIUS de Afcaridibus & Lumbricis latis. Duisburg. 1733. 4.to

IOH. BAPT. BIANCHI de naturali in corpore humano vitiofa morbofaque Vermium generatione. Aug. Taur. 1741. 8.vo

NICOL. ANDRY de la génération des Vers dans le Corps de l' homme. Paris 1741. 8.vo 2. Tomi.

SAMUEL ERNST Differt. de Taenia fecunda Plateri. Bafil. 1743. 4.to

CHRISTIAN GOTTL. KRATZENSTEIN Abhandlung von der Erzeugung der Würmer im menfchlichen Körper. Halle 1748. 8.vo

CAROLI LINNAEI Differt. de Taenia. Upfaliae 1748. 4.to

- - - - - Syftema Naturae. Editiones variae.

IOH. HIERON. KNIPHOFF de Vermibus hominibus moleftis. 4.to

CHARLES DIONIS Differtation fur le Taenia, dans laquelle on prouve, que le Vers n'eft pas folitaire. Paris 1749. 12.o

CHARLES BONNET Differtation fur le Taenia, in Memoires des Savans Etrang. T. I. p. 478. & in Oeuvres d'Hiftoire Naturelle & de Philofophie de CH. BONNET. Neufchatel 1779. T. 3. p. 96.

WALTER van DOEWEREN Differt. de Vermibus inteftinalibus hominum. Lugd. Bat. 1753.

CAR. FRIED. KALTSHMIED de Vermibus & praecipue illa fpecie quam Taeniam vocamus. Ienae 1755

DOMINICI VANDELLI de Taenia Canis 1758.

P. S. PALLAS Differt. de Infeftis viventibus intra viventia. Lugd. Batav. 1760. 4.to

- - - - - Elenchus Zoophitorum. Hagae 1766. 8.vo

- - - - - Bemerkungen über die Bandwürmer in Menfchen und Thieren, in Neüe Nordifche Beiträge 1. Band. St. Petersburg 1781.

Van PHELSUM Naturkundige Verhandeling ower de Wormen welke veeltyds in de darmen der Menfchen gevonden worden. Leeuwarden 1763. 8.vo etiam latine & germanice editus.

I. V. de CSER Differt. de Hiftoria naturali & medica Lumbricorum. Franecquerae 1772.

IOH. GEORG. ROEDERER Programma fiftens animadverfiones de Taenia. Goettingae 1772.

WILH. FREDR. von GLEICHEN *genannt* RUSSWORM Zergliederung und Mikrofcopifche Beobachtungen eines Bandwurms und eines Kürbifwurms, in Berlinifche Befchäftig. IV. B. p. 204. Berlin. 1779.

MARCUS ELIEZER BLOCH Beytrag zur Naturgefchichte der Würmer welche in andern Thieren leben. Ibid. p. 534.

- - - - Beytrag zur Naturgefchichte der Blafenwürmer. Berlin. Scrift. d. N. F. G. 1. B. p. 335.

- - - - Abhandlung von der Erzeugung der Eingeweidewürmer, und den Mitteln wider diefelben. Berlin. 1782. 4.to

CAR. FR. HAPP Differt. Vermium inteftinorum Hominis Hiftoria. Lipfiae 1780. 4.to

OTTO FREDR. MULLER om Bändelorme, in Nye Samling af det Kongelige Danske Widenskabers Selskabs. Skrifter. I. Del. Kiöbenhawn 1781. 4.to

- - - - Unterbrochene bemühungen bey den Inteftinalwürmern. Berlin. Schrift. 1. B. p. 202.

NATH. GOTTFR. LESKE von dem Drehen der Schafe und dem Blafenbandwurm im Gehirne derfelben. Leipzig. 1780. 8.vo

ERICI ACHARII Differtatio de Taenia. Lundae 1782. 4.to

IOH. AUG. EPHR. GOEZE Verſuch einer Naturgeſchichte der Eingeweidewürmer thieriſcher Körper. Blankenburg 1782. 4.to

PAUL. CHRIST. FRIDR. WERNER Vermium inteſtinalium praeſertim Taeniae humanae brevis expoſitio. Lipſiae 1782. 8.vo

- - - - Vermium inteſtinalium brevis expoſitionis continuatio. Ibid. eod. anno.

Plures forte ſunt, ſed de iis mihi nil notum eſt.

Ex enumeratis; ſcripta PALLAS, MULLERI, BLOCHII, LESKE, GOEZE & WERNERI omnino praecipua ſunt, ita, ut, illis inſtructi, caeteris carere poſſimus.

Veteribus tres ſolummodo Vermium inteſtinalium ſpecies notae erant, ſcil. Aſcarides, Lumbrici lati & Teretes. FELIX PLATER forte primus fuit, qui duplicem Lumbrici lati vel Taeniae ſpeciem eſſe docuit. Reliquas Vermium inteſtinalium ſpecies illis incognitas fuiſſe, nemini mirum videri poteſt conſideranti, quod vix ultra humanum corpus ſuas extenderint diſquiſitiones. Duo tantum genera adhuc proprie ut inteſtinalia Hominum conſiderantur, duo vero acceſſoria. Quintum genus, ſcil. Lumbrici vulgo illis adnumeratum fuit, licet perperam. Erroris huius cauſſa latet in rudi & tenebricoſa de Vermibus cognitione ante LINNAEI tempora, apud omnes

nondum correcta; multis enim Medicis adhuc haeret erronea illa opinio, superfluam illis & inutilem esse Historiae Naturalis notitiam. Hinc quoque factum est, ut perillustr. a LINNE', qui Ascaridem lumbricoidem optime novit, seorsim Lumbrici terrestris varietatem ut intestinorum humanorum hospitem consideraverit, id quod varii ei magni instar erroris exprobrarunt. Eiusmodi vero erroribus omnes Historiae Naturalis Auctores, inprimis Universalistae, obnoxii sunt, nisi omnem omnino aliorum auctoritatem reiicere velint, & quod propriis solum oculis viderint, ut certum considerare; id quod alio respectu eidem egregio Viro vitio vertunt. Quid quaeso faciendum, cum aliquot centenos videmus Auctores de Lumbricis in intestinis hominum hospitantibus differentes?

Postquam plerasque animalium obviorum species cultro non tantum anatomico subiecerunt varii Naturae Scrutatores, sed etiam a labore haud gratissimo, intestina scilicet lustrandi eorum non abstinuerunt, in Animalibus Mammalibus, in Avibus, Piscibus Amphibiisque ingens copia Vermium intestinalium detecta fuit, quae sub variis hactenus imperfecte cognitis vel novis quoque generibus militat. Alios viderunt in canali alimentario, alios in cerebro, in hepate denique, in pulmonibus, in renibus, immo sub cu-

te, in ipſa carne hoſpitari, illeſque omnes ſub nomine Vermium inteſtinalium comprehenſos volunt.

Licet per paucos dehinc annos miranda omnino in hac herpetologiae parte detecta fuere, attamen fateri cogor, me cognitionem de Vermibus inteſtinalibus, ut in ſua adhuc infantia conſtitutam conſiderare; longe enim plura detegenda ſuperſunt. De generum enim characteribus haud conveniunt Auctores, nec in omnibus certum eſt, quid ſit ſpecies, quid varietas. Longam etiam haec poſcunt experientiam, nactu eo difficiliorem, quod breviſſimo tempore animacula haec viva inſpicere liceat obſervatori. Et ſi vel liceret, quae inhabitant animalia, adhuc viva cultro ſubiicere anatomico, quod humanitati adverſatur, experientia hoc modo obtenta etiam manca foret, quum de utriuſque tum hoſpitantis cum hoſpitis vita brevi actum ſit, nec niſi fruſtatim, ut ita dicam, hac via obſervationes inſtituere poſſimus, reliqua concludere coacti. Quam facile autem erroneae fiant conclufiones, omnis aevi teſtatur experientia.

Ex cognitis iam Vermium inteſtinalium ſpeciebus Illuſtr. PALLAS iuſto pauciora, Celeb. vero GOEZE iuſto plura genera conſtituiſſe mihi videtur. Optime mea quidem ſententia ſub ſeptem, ſcil. *Aſcaridis*, *Cordii*, *Cucullani*, *Echi-*

no rhynci , *Planariae* , *Fasciolae & Taeniae* generibus comprehenduntur . Forte etiam Cucullani genus excludi posset ; nullam huius vivam vidi speciem , quare etiam dubium mihi adhuc manet , num revera a Gordiis distinctum formet genus , vel cum illis iungi debeat . Celeberrimi BLOCH & GOEZE *Chaotis* species Vermibus intestinalibus immiscuerunt, nescio qua de caussa.

Non desunt , qui e Vermibus intestinalibus propter habitaculum , distinctam in Regno Animali Classem conficere voluerunt . Res ipsa libera videri potest ; sed character classis difficilis erit , & genera naturalia dilacerarentur . *Gordii aquatici & terrestres* aeque Gordii mihi sunt ac *Gordii intestinales* . Taenias ordini Zoophytorum inscribi debere , nec in systemate naturali communi ordine cum iis , quorum origo copulae sexuali debetur , iungi posse , *Vobis* demonstrare adnitar . Vereor etiam , ex hoc fundamento si dispescerentur Regni Animalis subiecta , ne eadem inde oriretur confusio , ac si Plantae secundum virtutes Medicas distribuerentur . In Systemate Medico forte admitti possunt eiusmodi distributiones ; utilitas vero magis imaginaria erit quam vera .

Circa vermes intestinales hominum praecipue , ut nuper dixi , commorabor , reliqua quasi in transitu leviter attingam .

I. ASCARIS.

Vermis teres, utrinque attenuatus, inarticulatus, ore trivalvi.

Omnino cylindricus eſt, & verſus utrumque apicem decreſcens, quamvis in diverſa ſpecie magis verſus unam quam alteram extremitatem. Os terminale, & tribus quaſi nodulis apparet. Proboſcis nulla obſervatur, quamvis veriſimile ſit, aliquod inſtrumentum oris eſſe, cuius ope inteſtina perforare poſſit; huius enim perforationis exempla varia apud Medicos ſcriptores occurrunt.

Numeroſas apud MULLER, GOEZE; BLOCH & OTHONEM FABRICIUM in Fauna eius Groenlandica habebitis huius generis ſpecies, etiam nonnullas apud WERNER. Deſcriptiones vero inprimis Cel. GOEZE ita comparatae ſunt, ut ſaepius dubius haeream, num ſpecies vel varietas ſit. A ſola denique icone non niſi characteres incertos deſumere licet, & mihi impoſſibile fuit plurium Synonymiam eruere. Variae denique ſpecies ad hoc genus referuntur, quibus, quantum ex iconibus iudicare potui, deſunt generis notae eſſentiales.

Aſcaridum humanarum tres ſunt ſpecies, iam breviter conſiderandae.

1. ASCARIS *lumbricoides* lineis quatuor longitudinalibus, valvulis oris hemisphaericis.

A. *lumbricoides*. LIN. S. Nat. pag. 1076.
- - BLOCH Abhandl. p. 29. t. 8. f. 1-6.
- - HAPP. Diss. p. 13.
- - WERNER Expos. p. 75. t. 6. f. 144-152. t. 7. f. 153-158.
Kongl. Svensk. Wet. Acad. Handl. 1776. p. 313. 1781. p. 13. t. I. f. 1-5.
A. *hominum*. GOEZE Versuch. p. 65.
Lumbricus terrestris var. LINN. S. Nat. p. 1076.
teres TYSON. Phil. Trans. Vol. XIII.
intestinalis PALL. Diss. p. 13.
PHELSUM t. 4. f. 5. 6.

Haec illa est, quae Svetice *Spolmask*, & ab aliqua similitudine cum Lumbrico terrestri *Metmask* audit, quaeque ansam confundendi cum Lumbrico terrestri praebuit. Hominibus propria est, nisi forte varietas eius sit, quae Equos infestat. Domicilium eius sunt intestina tenuia, praesertim circa ileum. In ventriculum nonnunquam ascendit, sed vomitu cito tunc eiicitur, nisi forte nonnunquam ibi interimatur. Observatores Medici aiunt illam inventam esse in cerebri ventriculis, in sinu falciformi, in cantho oculi, in pancreate, in trachea, in pulmonibus, in renibus, in ulceribus pedum &c. Sed hi casus plane suspecti sunt. Quaeri enim &

quidem iure meritoque poteſt, an Auctores harum obſervationum Vermes hos rite diſtinguere valuerint. Certe Auctores, quos ego vidi, vel Vermis vel Lumbrici nomine tantum contenti, nihil plane vel fabuloſi quoque aliquid de forma illorum retulerunt. Aſcarides lumbricoides inteſtina perforare poſſe nulli negamus, ideoque in viciniam egreſſas aliquando inventas fuiſſe, omnino probabile cenſemus. Huc etiam pertinere videtur caſus a WILLIO in Actor. Helvet. Vol. I. p. 73. allatus. Quod autem in cerebro, in cantho oculi, in ulceribus pedum viſae dicantur, rudem ſapit ignorantiam. Quod verſus vitae terminum in ipſo agone mortis, immo mortuo nuper aegrotò febricitante exitum quaerant tam per ſuperiora quam inferiora, ſaepius obſervavi; hiſtoriae itaque TREUBLERI in TH. BARTHOLIN. *Epiſt. Medic. Cent.* II. de Verme ſpithamae longitudine e naribus morientis extracto, facile fidem addo.

Nulli parcunt aetati, infantes tamen & ſexus ſequior praecipue illis obnoxii ſunt. Magna ſaepe adſunt copia. PALLAS apud infantes aliquot centena vidit. BRENDEL. in uno homine ultra novies centena vidit, ventriculum & inteſtina inhabitare. De verminoſo loquitur PEREDA, qui plus quam mille intra aliquot dierum ſpatium excrevit, modo noſtrum intelligat Ver-

mem ; ipſe enim librum non vidi. MOUFFET caſum refert aegroti, qui ſimul centum & ſeptendecim excrevit. Ego infantem vidi decem annorum febre verminoſa laborantem, qui adhibito aethiope martiali per triduum viginti ſex edidit.

Neſcio ſane quid dicam de nonnullis aliis obſervationibus a rerum peritis allatis. REDI ait ſe vidiſſe hunc Vermem in Canum renibus, KLEIN in rene Vulpis, & quod magis mirum in cerebro Phocae, plura ut taceam.

Conſueta illis *longitudo* a ſex ad novem pollices eſt. Illam vero non adeo raro ſuperant. Sic PALLAS unam pedem longitudine aequantem vidit. Quod de duorum cum dimidio pedis longitudine relatum invenitur, ſingulare eſt; qui autem de Lumbricis a ſex ad triginta pedes longis loquuntur, certe aut fabulantur, aut Taenias intellectas volunt, licet & hae nunquam ad illam accedant longitudinem.

Teres eſt Vermis, verſus utrumque finem decreſcens & acutiuſculus, denſe & ſubtiliter circumcirca *annulatus*, *lineis quatuor* per totam longitudinem excurrentibus inſtructus, quarum duae, latera reſpiciunt, tertia dorſum & quarta ventrem.

Color albidus, non raro etiam pallide rubens.

Os terminale, tribus valvulis hemisphaericis & glabris versus centrum convergentibus constat.

In spatio circiter quartae partis pollicis supra caudae apicem papilla observatur, quae *anus* est.

Haud difficile est sexus distinguere; *Mares* enim non solum pauciores, sed & minores sunt. *Foeminae* praeterea in ipsa linea abdominali ad duorum vel trium pollicum ab ore distantiam *foramen* habent, quod aperturae ovarii inservit. Saepe accidit, ut Ascaris foemina e corpore expulsa, inprimis si aquae tepidae immittatur, hoc loco rumpatur, fasciculumque emittat filamentorum contortuplicatorum, id quod etiam in *Ascaride felina capite sagittato* vidi. Hocce phaenomenon multos seduxit, ut viviparam illam iudicarent. PEREBOOM de Lumbrico post mortem parturiente scripsit. Filamenta haec meros esse ovarii ductus docuit magis attenta inspectio. Ipsius ovarii portio nonnunquam sequitur, quae ab ovulis distenta sordide viridis apparet.

Maris *penis* est in ipso caudae apice.

Nuper dictus PEREBOOM libellum edidit sub titulo: *Descriptio & iconica delineatio novi generis Vermium Stomachidae dicti &c.* in quo novum genus Vermium intestinalium finxit. Ipse tractatum non lustravi; video autem Celeberrimos Viros, GOEZE, WERNER &c. hanc stoma-

ma-

machidam pro Afcaride lumbricoide in inteftinis macerata & foedata habere. Quam facile erratur, quando cognitione clara non minus quam experientia deftituitur obfervator!

2. ASCARIS *vermicularis*, capite obtufo, valvulis oris oblongis fubterminalibus; cauda fubulata:

A. *vermicularis* LIN. S. Nat. p. 1076.
- - - - - - GOEZE L. cit. p. 102. Tab. 9. f. I. - 5.
- - - - - - BLOCH. L. cit. p. 31.
- - - - - - HAPP. L. cit. p. 8.

Afcaris fere omnium Auctorum.
Svetice *Springmaskar*.

In inteftino recto Hominum habitat; nonnunquam etiam in Colon afcenfas obfervarunt Auctores. Paucos effe infantes, qui ante duodecim annum copiam harum non aluere credo; poft hanc autem aetatem rariores funt, & rariffimum eft adultum de his querentem audire. FABRICIUS in Differtatione nominata cafum refert Viri quadragenarii, quem per integrum decennium vexarunt. Quae de earum per vomitum eiectione referuntur meam fidem excedunt, & certe ad erroneas obfervationes relegari debent, ut etiam, quod in Equis, Ranis, Pifcibus nidulentur. Hae enim vel ad alia genera pertinent, vel diftinctas fpecies conftituunt. An re-

vera hae Vermes ſint, qui in paludibus a Perilluſtri LINNE' dicuntur hoſpitari, quoſque primo vere in radicibus putreſcentibus viderit, ulteriori indagatione digna res eſt. Quos denique Dñi BEYREIS & HINZE in puteo Helmſtettenſi invenerunt Vermiculos, crediderim potius ad hanc ſpeciem, quam ad praecedentem pertinere, ſi modo Aſcarides fuerint.

Svetice *Springmaskar* dicuntur, ob vividos ſaltus, quos nuper e domicilio expulſae, faciunt; id quod plurimum confert ſingularis earum elaſticitas. Cito autem extra corpus humanum pereunt, inprimis in loco frigido.

Aſcarides vermiculares aliquando in genitalibus mulieribus inventas eſſe, facile propter viciniam loci crediderim. Illas vero ex utero illuc veniſſe vix probabile eſt. Si enim ab inteſtinis abſorberetur proles illarum, ſecundum obſervationes Cl. GOEZE viviparae eſſe debent, & per circulum ſanguinis in uterum deduceretur, cui tamen viae mille obſtant difficultates, hoc ſaepius, quam vulgo fit, obſervari deberet; facilior enim longe foret haec communicatio quam cum foetus inteſtinis in utero gravido.

Color earum plerumque flaveſcens, vix tamen hic naturalis eſt, quum in aqua penicilli ope ablui poteſt. Vix ad tertiam lineae partem accedit earum *craſſities*. *Longitudo* autem quatuor vel quinque, raro ſex lineas attingit.

Cauda acuta eſt & ſubulata.

Caput longe minus attenuatum eſt & obtuſum.

Os trivalve: valvulis ovato-oblongis ad capitis latera ſitis.

Totum *corpus* rugis annularibus oculo inermi haud obſervandis inſtruitur. VAN PHELSUM ad diſtantiam quartae lineae partis ab obtuſo apice cinguli ſpeciem vel annulum elevatum ait ſe vidiſſe. De hoc vero recentiores tacent, praeter Equ. a LINNE', cuius verba ſunt: *pone apicem anteriorem ruga annularis profundior & ad ipſum huius apicem os tranſverſum*. In hunc vero errorem certe a VAN PHELSUM inductus eſt, qui oculatiſſimo alias WERNER etiam ſine dubio impoſuit. Omnes enim tres caput bilobum cum rima oris tranſverſa ſtatuunt. Cel. vero GOEZE, cui copia fuit vivorum exemplarium, valvulas tres oblongas depingit, quarum ſitus non ut in prima ſpecie, terminalis, ſed lateralis eſt & caput obtuſum ac nonnihil incraſſatum efficit. Haec quoque cum noſtris obſervationibus coincidunt.

In *Foemina* ad diſtantiam a capite lineae circiter unius eiuſmodi foramen obſervatur, quale in priori ſpecie ad uterum ducit.

Anus in hac ſpecie non papillaris; quoniam autem mox ſupra caudae apicem canalis verſus

cutem duci observatur; ibi sine dubio exitum habet.

In *Maribus* ad distantiam a caudae apice lineam nonnihil excedentem, porus observatur, qui cum alio canali, ab anali memorato diverso coit, ideoque merito pro loco genitalis eorum habetur.

Caeterum foeminae a Maribus facile distinguuntur per duplicem longitudinalem & spiraliter tortum canalem, quorum alter uterus est. In hoc saepius laudatus GOEZE prolem vivam singularibus membranis involutam vidit; ideoque Ascarides vermiculares viviparas declarat. Hisce non obstat, quod Ascaris lumbricoides ovipara sit, nam plures *Ascaridum* species e. gr. *pulmonales* p. 91. *Bufonum & Ranarum* p. 93. & 95. *subulatas* p. 98. *acuminatas* p. 101. &c. viviparas esse ostendit.

3. ASCARIS *tricocephala* capite elongato filiformi, cauda truncata.

A. *trichiura* cauda capillari longitudine corporis. Mant. 2. p. 543.

- - - - - - WERNER l. cit. p. 84.

- - - - - - HAPP l. cit. p. 21.

Trichuris. MULLER Naturforsch. St. XII.

- - - - - - BLOCH l. cit. p. 32. t. 9. f. 7-12.

Trichocephalos. GOEZE l. cit. p. 112. t. 6. f. 1-5.

Vermium inteſtinalium ſpecies ante annum 1760. ignota. Eo enim anno primum viſa eſt a ROEDERER & WAGLER, quum Gottingae milites Gallicos febre contagioſa demortuos cultro ſubiicerent anatomico. Dein a BLUMENBACH & aliis viſa, ſemper in cadaveribus pauperum. Inteſtinum caecum inhabitat, rarius & quaſi caſu quodam in aliquo craſſorum delapſam obſervarunt, nunquam in tenuibus aſcenſam.

In Svecia hucuſque nemini obſervatorum viſa eſt haec ſpecies, quod vel plenariae eius abſentiae, vel forte incuriae Anatomicorum adſcribendum.

Ex ipſo LINNAEI nomine triviali non minus quam ex definitione ſpecifica patet, Perilluſtrem hunc Virum pro cauda habuiſſe teneriorem & capillarem partem, adeoque membrum retractile in altera extremitate maris proboſcidem eſſe, iudicaſſe. In hoc puncto cum Egregiis Viris ROEDERER, WAGLER, WRISBERG, MULLER, BLOCH, WERNER & HAPP conſentit. Cel. vero GOEZE cum Ill. PALLAS partem capillarem pro capite habet elongato.

Valde eſt affinis *Taeniae Spirillo Pall.* magis tamen *Aſcaridi tubiferae* FABRICII *Faun. Groenl.* p. 273. ROEDERER, WAGLER, WRISBERG proprii generis credunt, quibuſcum conſentit GOEZE. LINNE', quem neſcio an

ſpiritu vini ſervatam viderit, vel deſcriptionem a Cel. BECKMAN tantum acceperit, Aſcaridibus aſſociavit; illum WERNER & HAPP ſequuntur. Donec oris organa melius determinentur; illam quoque inter Aſcarides pono, quamvis ex occaſione *Taeniae Spirilli* ſuſpicari liceat magis Echinorhyncis affinem eſſe quam *Aſcaridibus & Taeniis*. Hae enim, ſcil. *Taeniae* ne ordine quidem cum *Aſcaridibus* vel *Echinorhyncis* conveniunt, multo minus genere, diſſentientem quamvis habeo Ill. PALLAS.

Plus quam uno reſpectu ſingularis eſt Vermis.

Uterque *Sexus* in eo convenit, quod ab extremitate poſteriore tertia circiter Vermis pars craſſior ſit & fili groſſioris craſſitiem habeat, dehinc verſus caput anguſtior & fere capillaris. Haec demum pars oculo armato tranſverſe rugoſa apparet.

Craſſior in *foemina* pars fere ſtricta eſt vel parum ſaltem curvata, ad griſeum vergens colorem, quam in mare paullo craſſior, citiusque decreſcens. Apice obtuſo, ubi *ano* forte locus eſt, terminatur. Ad anteriorem craſſioris partis finem in pellucido Verme ope vitri *Ovarium* in ſpiram circa inteſtinum ductum conſpicitur, & ubi anguſtior ac rugoſa pars incipit, extus punctum obſcurum obſervatur, quod ſine dubio ovarii eſt orificium externum.

Maris vero craſſior pars, quae, uti ſupra dictum fuit, minorem quam in foeminis habet circumſcriptionem, ſemper ſpiraliter involuta eſt, elateris inſtar in horologio portatili, vel ut ſitum Gordiorum ſub Piſcium cute quandoque obſervavimus. Finis eius poſticus obtuſe truncatus eſt. In hoc latet tubus vel vagina truncata, quae membrum teres, obtuſum, preſſura levi videndum, forte animaculi *genitale* ſit. Hoc proboſcidis Echinorhynci inſtar protrudi & retrahi poteſt. Hoc demum illud eſt, quod varios induxit in eam opinionem, ibi os animalis eſſe, ibique caput quaeri debere. Varia autem obſtant, quominus ita ſit. Situs enim ovarii in craſſiore foeminae parte contrarium ſuadet, non minus quam haud rara obſervatio, quod ſcil. conformatio poſticae partis in diverſo Vermium non minus quam Inſectorum ſexu ſaepe diverſa conſpiciatur, vix vero illud in capitis oriſve organis deprehenſum fuerit, ſi antennarum diſcrepans figura excipiatur. Hiſce addere poſſumus, quod *Taenia Spirillum* Dn. PALLAS indubie oſculum in tenuiore parte habeat.

Oris vero in hoc Verme figura hucuſque incerta eſt. Quae a WAGLERO accepit ſpecimina Cel. GOEZE mortua erant, & ſpiritu vini condita. In hoc notiſſimum eſt, partes animalium, tenerrimorum praecipue, contrahi, cor-

rugari, ſaepeque deformari. Perſpicue itaque illum oris organa non obſervare potuiſſe, mirum non eſt. Ex eo autem, quod in *Tricocephalo* ſuo murino os trinode ſe obſervaſſe crediderit, eandem fabricam noſtro Vermi tribui poſſe iudicavit. Quum vero huic adeo affinis *Taenia Spirillum*, ex obſervatione egregii inventoris, os habeat tubae inſtar ampliatae & margine denticulatae, quod quoque, ut puto, inprimis Illuſtrem Virum commovit, ut illam Taeniis aſſociaret, dubia manet genuina in noſtro Verme oris ſtructura. Vereor ne difficultas, ſi non abſoluta impoſſibilitas vivas obſervandi Aſcarides trichocephalas incertos nos diu relinquat.

Apud Auctores ſupra nominatos multae minutae Aſcarides occurrunt, intra inteſtina variorum Animalium habitantes. Verum ex iconibus & deſcriptionibus ibi datis impoſſibile eſt ad veras ſpecies illas reducere; vel genuinos characteres non minus quam ſynonymiam eruere. Id etiam de maioribus valet. Sic v. gr. dubium mihi eſt an *Aſcaris Equorum* GOEZE l. cit. p. 63. t. I. f. I. & BLOCH p. 30. t. 8. f. 4. eadem ſit nec ne; alia enim ſuadent, alia diſſuadent. Cel. GOEZE elegantiſſimas habet icones, deſcriptiones vero vel mancas vel nullas praeter iconum explicationes: de ſynonymis niſi vulgatiſſimis haud ſollicitus. Animalia itaque ipſa in-

ſpici debent; ſed non ſufficit inſpectio unius vel alterius ſpeciei characteri formando; plures enim ſpecies facile communem characterem gerere poſſunt. Icones praeſertim Aſcaridum in libro a Cel. BLOCH haud ſatisfaciunt.

II. FASCIOLA.

Vermis planiuſculus, linearis, inarticulatus, altero apice attenuatus, altero obtuſus.

Character hic a Linneano omnino diverſus eſt. Verum p. m. Vir manifeſte bina ſub hoc nomine commiſcuit genera, nempe *Faſciolam noſtram* nullo orificio viſibili inſtructam & *Planarias* duobus perſpicuis poris praeditas, ſummo iure diſtinguenda. Huic Faſciolae nomen, ob formam parvae faſciae, melius quam Planariis competere videtur.

Variis apud Auctores generibus adſcriptus fuit hic Vermis, ut ex ſynonymis iam enumerandis videbitis.

1. FASCIOLA *inteſtinalis* LIN. S. Nat. p. 1078.
- - - MONTIN Kongl. Sv. Wet. Ac. H. 1763.
Planaria inteſtinalis. MULLER Prodr. Zool. Dan. pag. 221.
Ligula Piſcium & Avium. BLOCH l. cit. p. 2. 4.
Taenia cingulum. PALLAS N. Nord. Beytr. I. p. 94.

Fasciola intestinalis & abdominalis. GOEZE l. cit. pag. 183. 185.

Nonnulli in duas dividunt species; quantum vero ego observare potui, non nisi varietates sunt. Qua enim in Avibus invenere GOEZE & BLOCH, ea mihi in Piscibus obvia fuit.

A semipede ad binos pedes longam vidi. De longitudine quatuor pedum alii (PALLAS N. Nord. Beitr. I. B. p. 96.) loquuntur. Latitudo a tribus ad decem lineas variat. Crassities communis unius ad sesqui usque lineae est, versus margines vero attenuatur, ut nonnihil convexa sit. Inter longitudinem & latitudinem nulla est relativa proportio. Possideo enim Fasciolam 24. pollices longam & 5. lineas latam, aliam denique nonnihil breviorem sed 10. lineas latam, utramque in Cyprino Brama repertam. In medio utrinque secundum longitudinem sulcus ducitur, quem transversae striae comitantur. Harum aliae in medio inter sulcum & marginem desinunt, dum inter has aliae incipiunt ad marginem excurrentes, ibique parvas efficientes incisuras. Tota albet, tota linearis & aequalis latitudine, finibus rotundatis, altero parum retuso, in quo vestigium aperturae vel osculi mihi adesse videtur; pro certo autem ita esse affirmare non audeo. Alter finis magis acutus in parvam protuberantiam terminatur; hanc adeo

longam uti apud DD. BLOCH & GOEZE pictam videtis, nunquam ego obfervavi. Peculiarem duritiem & ad cartilagineam nonnihil vergentem habet.

Verum eft paradoxon hic Vermis, magnitudine enim infigni quamvis prae caeteris gaudet, nemo adhuc in eo obfervare potuit neque os, neque anum, vel aperturam genitalium; inteftina, ovaria, foetus, ova; fed tota eius fub cute fubftantia uniformis videtur, & fi fpiritu vini conditus fuerit, quafi farinofa. Ill. PALLAS l. cit. p. 101. ad eam fententiam accedere videtur, quod partitione fpontanea multiplicetur.

Praeter nominatam a me obfervari vifam impreffionem vel ofculi veftigium nulla oris organa, nulla probofcis animadvertitur, nihilo tamen minus inteftina & carnem Animalium perforare valet.

Communiffimus ei locus eft cavitas abdominis inter vel iuxta inteftina Pifcium lepidotorum, praeprimis Cyprini generis, e. gr. Bramae, Carpionis, Caraffii &c. & horum Pifcium aeque vulgo ac falfo Taenia dicitur. Plerumque ex habitu Pifcis iudicari poteft illum hoc Verme laborare, nam quamvis extra pruritus tempus, abdomen illis multum tumet, quafi plenus effet ovorum, & fi parum cultri ope abdomen inci-

ditur, saepe reliquum sponte rumpitur. In cisternis, quibus vivi conservantur Pisces, inventas fuisse legi, sed vivae vel demortuae an fuerint non expressum. Cl. BLOCH *Ligulam* suam *Avium* non solum in intestinis *Mergi Merganseris*, *Mergi Albelli & Colymbi auriti* ad centuriam usque vidit, sed etiam in cavitate abdominis, pectoris & circa cor eorundem Avium. Cel. MONTIN loco cit. refert in *limbo Ostrearum* vulgo *barba* dicto sub aestate anni 1757. hunc Vermem saepissime a se observatum fuisse. Quod autem magis singulare est, per Anthelminthica & Catharectica varias Fasciolae nostrae portiones e virgine nobili expulit simul cum Ascaridibus lumbricoidis, frustulisque Taeniae. Inter illa unica semipedis longitudine erat, ex qua sine omni haesitatione de genuina Vermis specie iudicare posset. De fide huius relationis nullus dubito, qui egregiam eius in Historia Naturali scientiam saepe miratus sum. Nec ullum mihi superest dubium, quin Vermis, quem ex quodam *Giamberti* expulit Cel. LUPI (*a*) etiam

(*a*) Cl. LUPI Epistola ad Cl. FRANCHI in Avvisi sopra la salute umana Tom. V. p. 233., in qua scribit: e in tali giorni per il secesso non solo si osservarono i suddetti, ma comparve ancora un Verme bianco, lato, ma senza articolazione.

huius farinae fuerit. Inter inteſtinales igitur hominum Vermes omni iure numerari debet, licet, quod eo melius, raro occurrat.

In libro de morbis infantum ed. 1771. pag. 218. Ill. ROSENSTEIN refert ſe cum ſeptem aliis praeſentibus Faſciolam in patina vivam vidiſſe, cum Piſcis iam ut coctus menſae impoſitus eſſet. Nuper nominatus MONTIN l. cit. etiam ait Faſciolam vivam prunis fagineis vivide ardentibus impoſitam bis terve muco ſuo eas exſtinxiſſe, antequam ipſa exſtingueretur; etiam in ignem flammantem proiectam ultra duo minuta vivam perſtitiſſe. Eodem loco ſingularem offert obſervationem, quo ſcilicet Faſciola haec e Piſce exempta & ſpiritu mercuriali immiſſa ultra ſemihorium vixerit.

Caſus a Nob. ROSENSTEIN allatus anſam dedit DD. PALLAS & BLOCH experiundi, quantum caloris frigoriſve pati poſſit *Faſciola* haec. Ex eorum experimentis patet, Piſcem, in quo hoſpitatur, vix duorum minutorum coctionem perferre ſine morte Vermis. Cum autem per quinquaginta ſolum partes minuti ſecundas integer coquebatur Piſcis, viva ſupererat Faſciola, quamvis portio eius, quae extra Piſcis corpus penderet, emollita eſſet. In aqua frigida rigebat quaſi mortua, calenti vero immiſſa reviviſcebat. In fervida poſt varios motus quaſi convulſa emoriebatur.

III. GORDIUS.

Vermis filiformis, leviſſimus, aequalis,

Imperfectum eſſe hunc characterem ambabus largimur manibus, meliorem vero hactenus ignoramus. Nob. PALLAS addit quidem: *os dilatatum labro ſubrotundo concavo, cauda uncinulo terminata*. Hae vero proprietates apud pleroſque deſunt, & cum charactere *Cucullani* MULL. demum coincidunt. Cel. BLOCH de *labiis duobus tumidis* loquitur, quae neque obſervare licuit.

Nec felicius ſuccedit character ſpecierum. Verruculam quam in credita foemina *Gordii Harengum* vidit BLOCH in *Gordio marino* LINNEI ex carne Gadi barbati ac Pleuronectis & ex ventriculo Lucii vidimus.

In numerum Vermium inteſtinalium humanorum *Gordium* non reciperem, niſi D. ANTON. MARTIN R. *fil.* obſervator ſane circumſpectus, illum in ſe reperiiſſet habitantem. *Gordium argillaceum Lin.* fuiſſe vix crediderim, potius *Gordius marinus* fuit, qui ſaepe in inteſtinis Piſcium marinorum, in hepate illorum, in veſica aerea Salmonis Eperlani invenitur, quemque ipſe ultra centum numero in unica Pleuronecte, partim in ipſa carne, copioſius vero ſub cute in ſpiram volutatum vidi. Deſcriptio alias Dñi MARTIN

bene cum Gordio a Cel. GOEZE in inteftinis Gallinae morbidae reperto, quemque Tabula 8.va f. 8. 9. depinxit, convenit. Sed ut nuper dixi, fpecierum characteres difficile eruuntur, difficilius adhuc verbis exprimuntur.

Tenacis eft vitae. Ego illum (*G. marinum*) in fpiritu vini gallico fervatum per aliquot horas vixiffe manifefte obfervavi. MARTIN illum licet languidum in aceto fex horas, per fefquihoram in aceto pipere acuato, ad fummum per bihorium in Sinapi cum aceto trito, poft triginta horas in pulvere Colocynthidis, poft quindecim in folutione falis cathartici, poft viginti quatuor in pulvere corticis peruviani vixiffe obfervavit. Muria concentrata & opiata illum poft fal volatile oleofum Silvii omnium citiffime enecarunt. Haec experimenta cum reliquis in Kongl. Svenska Wet. Acad. Handl. 1771. p. 261. &c. legi poffunt.

Hoftes fane periculofiffimi funt, quod facile adeo inteftina perforare poffunt. Cum enim probabile fit, illos non nifi per Pifces male mandatos & coctos corpus humanum introire, facilius erit, fe ab illis praecavere, quam curare.



IV. ECHINORHYNCUS.

Vermis teres, inarticulatus, proboscide retractili echinata.

Huius plures sunt species, nulla vero in humano corpore habitans. In Piscibus eo frequentior est; sed cum in canali alimentario domicilium unice habeat, nullum ab his periculum metuendum puto.

V. PLANARIA.

Vermis depressus, inarticulatus, osculis duobus hiantibus terminali & subcentrali.

Nomen magis congruum *Distoma* videtur, sed apud Historiae Naturalis Scriptores frequentatum, nulla urgente necessitate, mutare nolui.

Ratione specierum hucusque notarum numerosum hoc non est genus, nec hactenus, quantum sciam, in ullo homine repertum.

Inter species a Cl. GOEZE recensitas una occurrit p. 177. sub nomine *Planariae alatae* vel *dubiae*, quae certe Planariis consociari nequit. Nisi revera larva sit alicuius insecti, certe proprii generis Vermis.

VI. TAENIA.

Vermis plerumque compressus & articulatus ac linearis. Caput vesiculis quatuor suctoriis.

Genus, quod non minus Celeberrimorum Virorum ingenia, quam aegrotantium intestina cruciavit, & cuius adhuc, multae licet cognoscantur species, difficulter dari character poterit. Aliae enim lineares & articulatae, aliae articulatae & vesiculiferae, aliae vesiculiferae inarticulatae sunt. Omnes instrumenta quatuor suctoria in capite, non omnes vero circulum duplicem aculeorum habent.

De ordine ad quem referri debet hoc genus, etiam multum disceptatum fuit. Perill. a LINNE' illud in ordinem Zoophytorum retulit, rationem his verbis addens: *Taeniae hae sunt composita simplici catena uti Sertularia composita latente intra singulum articulum animalculo cum sua fructificatione. Articuli distincti, Vermes Cucurbitini Medicis audiunt, renascentes novis articulis more matris absque termino, cum singulo articulo proprium os, propria viscera chylopoietica. Omnis articulus propria vita gaudet.*

Quamvis Perillustris Viri Theoriam hanc de Taenia per omnia subscribere non possim, iure, ut mihi quidem videtur, illud genus Zoophytorum ordini adscripsit.

Equ. a LINNE' omnibus Vermibus *caput* denegasse, notum est. Hinc multae quoque disceptationes ortae sunt, quae tamen omnes, uti antea saepe audivistis, ad logomachiam redeunt. Tota scilicet lis pendet a notione capitis; LINNE' enim cum capitis idea praesentiam iungebat membri a reliquo corpore articulationis ope distincti, cui os, oculi, nares, vel saltem antennae aut tentacula essent. Haec rarissime, si unquam, in capite sic dicto Vermium occurrere neminem facile negare crediderim. Si vero caput illam extremitatem, in qua os sit, vocare volumus, caput certe adest.

Verum ipsam B. Viri de Taeniis theoriam e binis praecipue fontibus profluxisse, verosimile mihi videtur.

Res est notissima VALLISNERI de Taenia sententia. Illam scilicet ut seriem tot distinctorum animaculorum sponte concatenatorum, quot ei articuli sunt, concipiebat. Haec theoria, quam nuper D. BLUMENBACH ad omnium admirationem suscitavit, sine dubio primam Equiti a LINNE' occasionem dedit, Taeniam animalis instar compositi considerandi, quamvis VALLISNERI de spontanea concatenatione articulorum reiecerit hypothesin. Sibi vero persuasum habuit, articulos ad latiorem Vermis finem maturos nexu sese solvere, illisque ab angustio-

re sine novos accrescere articulos, sicque fieri posse, ut ab una Taenia multae ortum ducant indeterminatae longitudinis.

Caeterum certum quoque est, Perillustrem Virum, postquam Historiae Naturali totus se dedisset, nunquam sectionibus anatomicis interfuisse, neque Praxi Medicae se immiscuisse, nisi cum vires medicamenti specificas exploratas optasset. Non itaque mirum, si illi nunquam visa fuerit capite instructa. Mihi ipse quoque retulit, se nunquam microscopium compositum adhibuisse, nisi cum observationes Münchhausianas repeteret. Canalem ergo alimentarium communem ignorabat. Et quid quoque simplicius, quam credere, quod quivis porus osculum sit? Etiam Nobiliss. PALLAS probabile videtur oscula haec sic dicta alimento hauriendo inservire. Posito hoc, cui non paradoxon videbitur simplex Animal multis articulis, quorum singuli demum proprio ore propriisque intestinis gaudent, instructum fingere? Quot enim ora, quot diversae intestinorum phalanges; & tot quoque Animalia simplicia statuere cogemur.

Iam autem quum de eo inter nos conveniat, quod idea haec b. a LINNE' erronea sit, quodque cuivis Taeniae suum sit caput, quomodo incrementum capit, quo instrumento alimentum haurit?

De utroque discrepant Auctorum sententiae: Nob. MULLER in *Nye Saml. af det Kongl. Danske Widensk. Selsk. I. Del.* p. 96. paucis hisce verbis suam exprimit sententiam: *crescit in longitudinem simplices articulos iuxta caput explicando*. Credit itaque inter caput & proximum articulum novos explicari articulos, & credit quoque omnem Taeniam non nisi certum articulorum numerum adipisci posse.

Prius quodammodo cum Linnaena sententia convenit, in eo scilicet: quod incrementum a fine angustiori fieri debeat.

Nullibi, quod scio, D. PALLAS, quid hac in re sentiat, aperte professus est. Iniustum itaque foret certam quandam illi opinionem obtrudere. Nisi vero omnia me fallunt, videtur credere, omnes articulos in Taenia nata iam adesse, & consequenter incrementa tantum capere. Huic sententiae etiam sine exceptione addictum invenimus Cel. BLOCH in Opusculi sui p. 7 8. dicens: *incrementum illorum non, uti multis persuasum fuit, fit per adpositionem novorum articulorum, sed per explicationem & amplificationem eorum.*

Quaenam vera harum sit, difficile sane est dictu. Veterum de his lepidas opiniones enumerare supervacaneum duco. Cl. WERNER illas habet in compendio p. 97.; nec recocta VAL-

LISNERI sententia impugnari meretur. Id monere tantum debeo, Cl. WERNER D. LINNEI sententiam male intellexisse, cum dixerit: *quodammodo illum cum Bianchi consentire*. LINNE' enim nunquam Taenias cum polyposis intestinorum excretionibus comparavit, sed propagationem illarum cum *Hydrarum*, tum temporis sub nomine *Polyporum* notarum, propagatione. Nec feliciter quidem LINNE' citavit p. 93. dicens: *illum Taenias ad Sertularias retulisse*; aliud enim longe est ad Sertularias referre, aliud cum Sertulariis conferre.

Qua vero via nutrimentum capiunt?

Per oscula sic dicta vel lateralia vel marginalia id fieri, sententia fuit non solum Perill. a LINNE', verum etiam multorum aliorum Virorum; cui non leve pondus addidit experimentum Clar. KOENIG in Verme cucurbitino (Act. Helvet. T. I. p. 29.) lactem quaerente, instituto, quamvis, quod dolendum; semel tantum & ad dimidium successit. Ill. PALLAS huic sententiae addictus videtur, dum se non capere fatetur, quomodo parvum illud & haud satis demonstratum os in capite situm tanto sufficeret Animali nutriendo. Contrariam omnino sententiam fovet Nob. MULLER, quocum in hac re ut consentiam, duo inprimis momenta compellunt.

A Cel. ERNST dudum iam demonstratum

eſt, ad utrumque Taeniae marginem canales adeſſe, totam articulorum ſeriem percurrentes. Hos in una ſpecie a Cl. ERNST obſervatos dein in pluribus obſervarunt alii, e. gr. Cl. BLOCH in *Taenia lanceolata*, *Taenia rectangulum*, *Taenia articulis rotundis*, *Taenia* vaſis nutriciis diſtinctis, a Cel. GOEZE delineantur in Tab. XIX. XXI. XXII. A. f. 3. 4. Tab. XXIV. f. 5. &c. Ab Ill. PALLAS viſi ſunt in *Taenia Solio* (N. Nord. Beytr. I. p. 52.). De illorum exiſtentia itaque nullum eſt dubium. PALLAS denique & WERNER etiam obſervarunt, in Taenia Solio hos canales ad oſculum marginale pertingentes findi, ut oſculo marginali via pateat, & mox ab altero huius latere per anaſtomoſin illorum in unum coaleſcere; dehinc ad marginem inferiorem articuli tendere, inque eius medio ab utroque longitudinali latere concurrere, ita ut per apicem inferioris articuli illi inſerantur, ſicque totam percurrant Taeniam. In nuper citato Opere, ſcil. N. Nord. Beytr. I. p. 63. obſervationem adducit Ill. PALLAS, plurimum roboris noſtrae opinioni addentem: *ſaepius*, ait, *in Taenia membranacea aeque ac inſequente* (T. latam intelligit) *obvenit*, *quod media pars articulorum in latiore Vermis parte computruerit & exciderit ſimul cum ovario*, *& ſanati demum articuli perforati ſint*, *unde neceſſario ſe-*

quitur, succum nutricium hos articulos sustentantem ex articulis anterioribus promanasse. Ita etiam esse in specimine *Vestris* iam oculis obvio videtis; nec rarus est casus inquirenti. Cl. WERNER observatio, quod scilicet canales hi marginales a vesiculis suctoriis, duobus scil. horum cum uno illorum utrinque communicantibus, ortum ducant, quae quidem ex iconibus *Taeniae megacephalae* Tab. XIX. *Taeniae serratae* Tab. XXIV. f. 4. 5. inprimis vero a figura *Taeniae disparis* Tab. XXXV. f. 5. 6. in Opere Cel. GOEZE novum sane pondus recipit, extra dubium ponere videtur, *quod Vesiculae hae suctoriae tot sint oscula succum alimentarem advehentia*, quocum pleno ore consentit saepius laudatus GOEZE.

Alterum momentum, quod impedit, quo minus oscula marginalia lateraliave ad alimentum hauriendum destinata credam, & absentia illorum in articulis tenerioribus & immaturioribus. His vero articulis sensim incrementum capturis nutrimentum multo magis necessarium est, quam maturis iam vel maturitati proximis. Si vero nullum nutrimentum nisi per oscula lateralia marginaliave arripi posset, unde tunc illorum augmentum?

Praefracte non nego, fieri quoque posse, ut articuli iam oscula adepti etiam alimentum eorum ope hauriant, licet minus probabile sit.

In *Taeniis* praeterea *vesicularibus* nulla omnino oscula praeter capitis observantur.

Pori laterales in convexiore latere *Taeniae Lucii* vel *nodulosae Pall.* conspicui haud dubie aperturae sunt ovariorum, nudo oculo saepius observandae. Has autem canales transversi ad marginem alterutrum percurrentes attingere, dixerunt Viri experientissimi PALLAS & GOEZE, immo hos depinxerunt canales. De papillis Cel. BLOCH in *Berlin. Beschäft.* IV. Tab. XV. f. 5. delineatis non loquor, hae enim, pace egregii Viri quem magni facio, dictum, certe ad fallacias opticas pertinent. Existentiam horum canalium absolute negare non sustineo, id autem asseverare possum, nec mihi nec ulli alii mecum observanti hos intueri contigisse in plus quam centum huic fini oculis multoties subiectis Vermibus. Nec *Vestri* oculi feliciores fuere, frustra enim *Vos* etiam illos quaesivistis. Quid celebratissimi hi Viri pro canalibus transversis habuerint, in promptu mihi est coniicere, verum ego nihil praeter rugas observare potui, ne quidem ubi ovaria ovis rufescentibus distenta sunt.

Antequam ad specialem Taeniarum humanarum descriptionem transeam, incumbit mihi *Vobis* rationem reddere, cur Zoophytorum ordini illa adscribam.

Duplicem novimus cum Animalium tum

Vegetabilium *propagationem*, scil. *sexualem & asexualem*. Prior in Regno Animali per ova absolvitur, quae apud nonnulla intra, apud reliqua extra corpus matris excluduntur. In utroque casu mutua utriusque sexus actio necessaria est, sine qua infoecunda erunt ova. In Regno Vegetabili diu nota fuit propagatio asexualis. Radicatio repens, partitio radicum, stolones, insitio, bulbi axillares, umbellarum & radicularum, prolificatio panicularum & spicarum superflua huius sunt testimonia. Hanc Plantarum vim prolificam a medullari substantia pendere, semina in pericarpio immediate per pedicellos eorum cum hac communicare, eaque omni iure pro continuata medulla considerari, & plantam e gemma radicis vel trunci aeque plantam ac si e semine foecundato germinasset, nemo facile in dubium vocabit, quamvis argumenta a Cl. HEDWIG in *Promt. Lipsiensi* 1781. Parte 3. primo intuitu multum ponderis habere videantur. Acutissimi SCHMIEDEL observata, quae in eius Dissertatiuncula de *Medulla Radicis ad florem pertingente*, Dissertatione Cl. N. L. BURMANNI DE GERANIIS Lugd. Bat. 1759. annexa primarias HEDWIGII obiectiones satis infirmant.

Quod denique Medulla Vegetabilium analogon sit medullari Animalium, sub quo totum systema nervosum a cerebro ad rete nerveum superficiei comprehenditur, etiam indubium puto.

Iam vero obſervamus ultimos medullares fines vel ſeminum rudimenta in pericarpio ſine foecundatione a polline antherarum ſteriles eſſe, adque propagationem plane inutiles, verum hac foecundati materia, modo licet nobis omnino ignorato, in novam quaſi vitam tranſire, quae tamen continuatio revera prioris ſit, neceſſe eſt. Illa vero medullae pars, quae, per vim ſuam in infinitum protrudentem, gemmas dat, prolem offert, quae ſine omni foecundatione ab extra vim genus & ſpeciem propagandi habet, etiam in infinitum.

Ita etiam, in Regno Animali fieri convictus ſum. Tenues, immo tenuiſſimae illae continuationes ſubſtantiae medullaris, quos nervos dicimus, intra totum corpus diſperguntur, ſuamque regularem habent determinationem cuicunque Animalis ſpeciei propriam, non minus quam in Plantis regularem partium ſitum dicothomum, tricothomum, diſtichum, oppoſitum, verticillatum, alternum, ſparſum, &c. animadvertimus. Peculiares ad Animalium ovaria deducuntur nervi, quorum ultimae ramificationes oculis quidem ſe ſubtrahunt, illas vero prout mihi perſuaſum eſt, iterum in ovula mutatas invenimus. His in Animalibus ſexu praeditis foecundatione opus eſt, in Animalibus ſexu deſtitutis non item. Maxima itaque eſt in his inter Regnum Animale & Ve-

getabile ſimilitudo, quamvis quoque concedam in Vegetabilibus ſemina foecunda non largientibus aliquid adeſſe ſexum mentiens. Quis hucuſque ſemen ſcil. foecundum Muſae paradiſiacae vidit? Quis aliam cognovit huius Plantae propagationem, quam per ſtolonem anno fructificationis aliamve ob cauſſam moribundae Plantae, e radice provenientem? Quis Muſam paradiſiacam aeque Plantam eſſe ac Tulipam geſnerianam negabit?

Quis ſexum vidit, vel aliquid quod ſexus praeſentiam probabilem reddere poſſit, apud *Hydras*, *Pennatulas*, *Vorticellas* &c. Numne illas gemmaſcere vidimus, gemmas vel ovorum more a matre ſolvi, vel increſcere, explicari & floreſcere? Anne videmus fruſtula Hydrae a matre vi ſoluta redintegrari, & Solani tuberoſi radicem inciſam tot dare Plantas, quot gemmae ei fuere? Mihi itaque haec ovula idem in Regno Animali ſunt ac gemmae in Vegetabili. Nihil ſane repugnat, nec analyſis contrarium demonſtrare valuit. Perpetuitas vero ſpeciei poſcit, ut ovula haec, quae poſt ſuperatam omnia deſtruentem hyemem ſupereſſe debent ad ſpeciei propagationem, ſub longe alia forma alioque perfectionis gradu, quam proles ſic dicta viva a matre ſecedant. An in his magis ambiguus ſit Summi Creatoris oculus, quam in ſervando miro Aphidis

genere, quod per aeſtatem vivos iam utero gerentes foetus emittit; ſed autumno ova ponit, quae, per hyemem dum intereunt parentes, ſpeciem ab interitu vindicare debent?

Si obſcura haec *Vobis* videntur, mea forte culpa eſt; ſaepe enim accidit, ut in rebus nonnihil abſtractis difficile ſit, aliis ſua cogitata ſatis clare proponere.

Omnia Animalia, quae per propagationem aſexualem ſeſe diſſeminant, in Zoophitorum ordinem refero. Reticendum quidem non eſt, multa dari Animalia, quorum ſexualitatem ad oculos demonſtrare non valemus, v. gr. Teſtacea bivalvia; ſed ea ad Zoophyta tamen non refero, quum manifeſta ſatis analogia ſuadeat, illa ſexu haud deſtituta, ſed potius androgyna eſſe.

In Taeniis nemo ſexum ſuſpicatus eſt, multo minus vidit, ſi BIANCHI excipiamus. Nec bene ſexus poſſibilitatem perſpicio, niſi ad ſententiam merito proſcriptam Valliſnerianam recurrere velim, quod nempe ſingulus articulus ſingulare ſit Animal. Cum enim ſingulis articulis proprium omnino ſit ovarium, ſingulis quoque ovariis neceſſaria eſſet diſtincta foecundatio. Quomodo denique inarticulatae Taeniae vel etiam Taeniae articulis non ſecedentibus abſolveretur foecundatio?

Quando itaque Ill. PALLAS in Elencho

Zoophytor. p. 402. dicit: *sequeretur ex his Taeniam esse Zoophyton concatenatum ex pericarpiis quasi seu ovariis, quae continuum quidem systema constituant & communi vita gaudeant*, cum egregio Viro omnino consentio, licet de organis nutritionis dissentiam; rursus vero sequentia eius verba mea facio: *simile quid in universo terrezo systemate hucusque observatum esse non novi, & inauditam prorsus indolem esse nemo negabit; multa tamen hypothesin istam commendant, & tantis quotidie adsuescimus naturae miraculis, ut nihil amplius stupendum videri debeat.*

In enumerand.s Taeniarum speciebus, omnes in corpore humano nondum repertas praetereo; non vero sicco quod aiunt pede, nam quae mihi adsunt, *Vobis* monstrabo, & de reliquis, quae scripta sunt ab aliis indicabo.

1. TAENIA *Solium* capite armato, osculis marginalibus solitariis.

- - - - - LIN. S. Nat. XII. p. 1323.
Amoen. Acad. II. p. 74. t. 1. f. 1.

- - - - - WERNER l. c. p. 18. t. 1. 2. 3. fig. 1-46.

Taenia cucurbitina. PALLAS El. Zoph. p. 405. N. Nord. Beytr. I. p. 46. t. 2. f. 1-9.

- - - - - - - - - BLOCH l. cit. p. 20.

- - - - - - - - - GOEZE l. cit. p. 269. t. 21. f. 1-7. 9-12.

Lumbricus latus, TYSON Phil. Transact.
Vers solitaire Gallorum.

Nomen *Solii* a falsa nonnullorum de unitate huius in humano corpore opinione adepta est. Id tamen retineo, quod sub hoc nomine diu nota fuit.

Species haec multo magis quam reliquae variat, unde quoque illam dignoscere saepe difficile foret, nisi oscula marginalia signum darent.

Brevioribus & longioribus, angustioribus & latioribus, crassioribus & tenuioribus, quadratis & fere ovatis articulis instructa occurrit, iisque saepe in uno subiecto. Vix igitur opus est distinctione Cel. GOEZE in *Taeniam grandem saginatam & planam pellucidam*.

Caput magnitudinem circiter habet capitis aciculae maioris; eius conformatio vero oculis inermibus vix conspicua. Oculo autem armato *quatuor vesiculae* glaberrimae observantur, quae, quamvis imperforatae videntur, hiantia tamen esse oscula suctoria probabile omnino videtur. Ex his canales marginales totam Taeniam permeantes, a WERNER & GOEZE observati, procedunt. Vivo & alacri Verme harum vesicularum intractio & exsertio facile conspicitur, tuncque simul a circumferentia versus centrum decurrentes rugae apparent, quales in globulis terminalibus tentaculorum Limacinorum obser-

vantur. Inter has veficulas fpecies *Probofcidis* adeft duplici circulo aculeolorum inftructa. Hi, quos etiam pro tubulis fuctoriis habet A. WERNER, proprias habent vaginulas, alium circulum ftelliformem producentes, tum demum obfervandum, quum aculeoli denudati funt. Num hi aculeoli revera tubuli fuctorii fint, in medio relinquo; id vero indubium mihi videtur, quod hifce inteftinorum tunicis immiffis fe teneat Vermis, & cum alimentum capit, & cum laxantium vi expofitus eft. Hinc etiam intelligitur, cur difficilius, quam caeterae fpecies expellatur.

Mox fub capite corpus gracile eft & ipfo capite anguftius, fenfim vero dehinc grandefcunt articuli, ita tamen, ut ad aliquot pollicum a capite diftantiam vix craffior fit filo communi; quamvis haec pars in fequentibus fpeciebus adhuc gracilior fit.

Notum *Vobis* eft, pollicem operarium, fvetice *Werktum* a pollice geometrico ita differre, ut hic decem, ille duodecim lineis abfolvatur; pedem vero geometricum decem pollicibus, operarium duodecim conftare, quamvis eadem utriufque pedis longitudo fit. Menfuram operariam ubique intelligo.

Latiffimus, quem vidi, huius Taeniae in latiore parte articulus quinque lineas aequabat. Longitudo eorum multum variat pro diverfa Ver-

mis aetate; etiam diversa est in Verme vivo mortuoque, & in hoc quoque prout in aqua frigida vel calente vel denique spiritu vini interiit. Observati sunt articuli a duobus ad novem lineas longi; hi vero plerumque lineares sunt. Perfectiores articuli in postica parte marginem elevatum habent, qui apicem anticae partis in subsequente articulo tegit. Margo alteruter cuiusvis articuli perfectioris *papillulam* perforatam exsertilem habet, quae cum ovario cohaerere videtur, & *Osculum marginale* ab Equ. a LINNE' dicitur. Non ab uno latere Vermis posita sunt haec oscula, neque regulariter alternant. Neque insolitum est, unum vel alterum articulum duobus osculis in eodem margine gaudere; sed rarissimi sunt articuli huius speciei osculis duobus oppositis instructi. Mire monstrosa est Taenia Solium.

In maturis articulis, in primis si tenui & haud colorato vitro impositi caute siccentur, facile se prodit *ovarium* fruticuli ramosi more per totum fere articuli corpus expansum. Hoc cum osculo suprememorato cohaeret, neutiquam vero unius articuli ovarium cum proximorum ovariis. Articuli vero osculis adhuc destituti, etiam ovariis carent manifestis. In ovariis materia alba granulosa continetur, quae ova constituit. Haec vero sub microscopio oblongiuscula apparent, &

& nisi fallacia aliqua optica adsit, globulos minores pellucidos continere videntur.

Maturi iam facti hi inferiores articuli sponte a nexu solvuntur, cumque scybalis sub nomine *Vermium Cucurbitinorum* abeunt. Illis forma plerumque ovata est, in angustiori fine nonnihil retusa, fere ut Citrulli semen. Ovaria tunc turgent. Num vero ex his per osculum marginale ova in intestinis humanis sensim deponuntur, vel totum articuli corpus ibi putrescit, sicque ova e claustro liberantur, nondum constat. Secessus a trunco articulorum ansam dedit Dño DIONIS *Taeniam* hanc *articulos demittentem* vocandi.

Res est notatu digna, & quae ad recoquendam Vallisnerianam opinionem sine dubio multum contulit, quod non solum vita adhuc praediti saepe abeant Vermes cucurbitini, sed quod sub oculis Illustriss. PALLAS ad aliquot pedum altitudinem parietes ascendere valuerint. Meretur sane haec experientia repeti, dum fausta adsit occasio. Quantumne lucis ex hac oeconomiae Vermis affunderetur?

In articulis his, scil. inferioribus maturioribus optime quoque canales marginales conspiciuntur. Cl. ERNST & PALLAS successit, per osculum marginale huic canali liquorem iniicere coloratum, unde etiam illustr. hic Vir concludit

oſcula haec nutrimento hauriendo inſervire. Sed contraria concluſio aequo, ut mihi videtur, iure exinde deduci poteſt. Poſito enim, quod canales marginales tubi alimentarii vice fungantur, ut ſuccum alimentarem cum corpore articuli communicent, neceſſe eſt. An hoc per vaſa dehinc exeuntia vel per oſtiola tantum fiat, ignoramus: quicquid autem ſit, via adeſt, quam iniectio per oſculum marginale tranſire potuit. Forte itaque haec oſcula orificii ovarii Anique ſimul officio fungantur, potius quam oris & ovarii.

Singularis in hoc Verme non minus quam in *Taenia vulgari & lata* eſt informitas, cuius figuras paſſim habet PALLAS e. gr. Tab. 2. f. 3. c. c. t. 3. f. 18. cum nempe duo articuli ita coaluerunt, ut margo illos diſtinguens ad dimidiam tantum articuli latitudinem plus minus accedat, vel unus articulus minutus angulum quaſi conſtituat maioris. Monſtroſam hanc variationem certe non animadvertit Cl. BLUMENBACH; ſola enim totam eius invertit de concatenatione plurium Vermium ideam.

Quae de enormi huius Taeniae uſque ad plura centena ulnarum longitudine apud Auctores traduntur, erronea ſunt, & de plurium Vermium ſeriebus ſimul computatis intelligenda. Ill. PALLAS raro illam decem pedes ſuperare affert. Quam TYSON delineavit *Octo Yards*

habebat, id est circa viginti quatuor pedes cum octo pollicibus mensurae svecanae. Vera eius longitudo, si qui sint certi limites, forte nunquam obtinebitur ob articulorum casum.

Studio strias transversales vel longitudinales in descriptione omisi, utut maxime infidum characterem omnium Taeniarum articulatarum mihi visarum. *Taeniam caninam* osculis marginalibus solitariis hic videtis, in qua omnes superiores articuli strias transversales, inferiores vero longitudinales habent.

Omnes Taeniae mihi notae albo sunt colore.

P. m. Eques a LINNE' dixit *Taeniam Solium* habitare in intestinis Mammalium & Piscium, qua in re auctoritate aliorum deceptus fuit. In homine certum est illam habitare, in Piscibus nunquam visam. Nob. PALLAS ait illam etiam in Canibus, Felibus, Lupis Muribusque hospitari. Certe articuli harum articulis Taeniae humanae simillimi sunt, sed si iconibus Cel. GOEZE fides habenda, distinguuntur collo inarticulato elongato.

2. TAENIA *vulgaris*, capite inermi, osculis lateralibus geminis.

- - - - - - LIN. S. Nat. p. 1323.

Am. Acad. II. p. 72. t. 1. f. 2.

- - - - - - HAPP l. cit. p. 40.

- - - - - - WERNER l. cit. p. 49.

Taenia grisea. PALLAS El. Zooph. p. 408.
Taenia membranacea. PALLAS N. Nord. Beytr.
1. p. 59. t. 3. f. 14. 15. 16. & 17. Fig.
13. vix huc pertinet.
- - - - - - - - - GOEZE l. cit. p. 296.
Taenia a anneaux courts. BONNET Oeuvres
Tom. 2.

Ab Equ. a LINNE' Taenia vulgaris dicitur, quia in Svecia reliquis vulgatior eſt, aliter alibi.

Habitus prioris, articuli quamquam multo breviores.

Cel. WERNER ex hac & *Taenia lata* unam fecit ſpeciem, & pauci revera ſunt Auctores, qui eas non aliquo modo confundant. Fere etiam perſuaſum habeo Ill. PALLAS ad *Taeniam ſuam membranaceam* figuram citaſſe ſcilicet 13:m in N. Nord. Beytr. Vol. I. quae ad *latam* pertinet. Reliquae bene quadrant; parum vero abeſt, quin eredam fig. 17. & 18. etiam hanc denotare ſpeciem.

Species ea quae duo habet oſcula lateralia, quamque breviter & concinne in Amoen. Acad. l. cit. deſcripſit *Eques*, non poteſt non eadem eſſe cum *Taenia a anneaux courts* D. BONNET. Saltem figurae eius omnes cum illa egregie conveniunt, capitis excepta, de qua iudicare non licet, unicam quia vidi, quod per aliquot annos in ſpiritu vini male ſervato detentum fere

putredine solutum erat. Vermem D. BONNET ad *Taeniam latam* caeterum referri probe scio, & fieri potest, ut ovariorum forma me deceperit. Neque Dño PALLAS, nec BLOCH vel GOEZE contigit caput huius Taeniae videre, & de icone Cl. WERNER T. 3. f. 47. necesse dubium manet; species enim, ut antea notavi, duas coniunxit. Quicquid sit, id certum est, in nostro specimine proboscidem a WERNER depictam non adesse, nisi statuere vellemus, illam Verme morituro retractam fuisse. Interea nullum est dubium, quin vesiculis quatuor gaudeat suctoriis, quamvis figura D. BONNET has minus bene exprimit. *Aculeolorum circuli* plane deficiunt. *Caput* proximis articulis duplo crassius est; hi etiam, licet parvi, oculis nudis facile conspiciuntur.

In speciminibus a me visis *articuli* formam parallelogramatis habent; latitudo maxima septem linearum cum longitudine sesquilineae; aliis eadem longitudo ad latitudinem trium linearum. Quum autem in subiectis maioribus saepe crispetur margo, figura etiam articulorum irregularis evadat, necesse est.

Duobus inprimis characteribus optime a caeteris speciebus distinguitur haec species, *Ovariorum* nempe *figura & Osculis*.

Oscula duo sunt in medio lateris longitudi-

naliter posita. *Superius* mox sub anterioris articuli margine situm, formam habet papillae. *Inferius* nullo elevato margine cinctum pori instar, saepeque in tumidioribus articulis puncti obscurioris forma apparet, & centrum ovarii spectat. Hoc forte est *ovarii foramen*, illud *Anus*.

Ovaria quae apud D. BONNET Tab. I. f. 11. & seq. bene depicta inveniuntur, quaeque simul cum poro centrali microscopio aucta egregie in Tab. 3. f. 15. C. N. Nord. Beytr. V. 1. delineata videtis, cum figura Lilii in insigniis Gallicis usitata bene comparantur. Plena sunt ovis fuscis, adeo magnis, ut per porum centralem vix exitum inveniant, nec opus quoque est illis hunc exitum assignare, quum, ut antea observatum fuit, tota una cum articuli disco decidant matura. Saepe accidit, ut aliqua ovaria sibi proxima exciderint, unum vero vel alterum infra situm adhuc adsit, quodque tunc adeo intumuit, ut molem informem referat. Hinc rationem facile intelligitis, cur huic obnoxii hospiti homines nunquam articulos abire observent, saepe autem frustula plurium articulorum vario modo mutilata & lacerata.

Vermis vitro impositus lucique oppositus ab utroque ovariorum latere usque ad margines videtur repletus esse materia granulosa pellucida. Hanc granulosam materiam pro pinguedine Vermis habet Cl. BONNET.

Longitudinem ad summum XVI. pedum obtinere afferit Nob. PALLAS; maxima earum, quam ego vidi, X. pedes longitudine aequabat.

In intestinis Mammalium inque fontibus limosis habitare dixit Perill. a LINNE'. Prius eatenus verum est, quod nempe in Homine habitet. In aliis vero Mammalibus illam repertam haud scio. Posterius erroneum videtur. Si etiam periodum, qua iter suum Dalecarlicum (1734.) instituebat, in memoriam revocamus, facile observabimus, *Perill. Virum* tunc temporis parum cum Taeniis familiariter versatum fuisse. Cel. GADD & UNZER in hoc momento experientia haud certiori stat fundamento, & si revera hanc Taeniam offenderunt, certum est, illam ibi peregrinam fuisse. Ideo tamen nullus nego celeberrimos hos Viros Taeniae speciem in locis ab iis memoratis etiam invenisse, quamvis ab hac distinctam.

8. TAENIA *lata* capite inermi, osculis lateralibus solitariis.

- - - - LINNE' S. Nat. p. 1324. Am. Acad. 2. p. 80.

- - - - PALLAS N. Nord. Beytr. I. p. 64. t. 3. f. 13.

- - - - HAPP l. cit. p. 39.

- - - - BLOCH l. cit. p. 17.

- - - - GOEZE l. cit. p. 298.

Antea obfervavimus Cel. WERNER hanc pro varietate *Taeniae vulgaris* habere. Perill. a LINNE' illam cum *Taenia ferrata* GOEZE T. XXIV. confundit. Ill. PALLAS & alii *Taeniam latam* cum T. *a anneaux courts* D. BONNET eandem effe contendunt. Quae me commoverunt, ut aliter fentirem, fupra adduxi. Tractatum gallicum, *Traitement contre le Tenia*, *Paris* 1776. 4.to non vidi, nec mihi contigit exemplar Vermis capite donatum oculis ufurpare.

Sola quam vidi, duorum cum dimidio pedum longitudinem habuit, fimulque cum duabus Taeniis vulgaribus e foemina iuvene per fecundam Noufferiani remedii dofin expulfa fuit.

Articuli eius latiffimi lineas quinque non excedebant, anguftiffimi vero iuxta caput tres lineae quartas partes. Horum longitudo fefquilinearis, illorum duas lineas aequabat.

In eo quoque praecedentibus diffimilis; quod articuli capiti proximi ftrias tantum mentiantur, vixque aliter diftinguantur.

Praecipuus vero eius character eft, quod in plano latere quivis maior articulus, parum infra paaecedentis articuli marginem *Porum* habeat *folitarium*, margine nonnihil elevato cinctum. Situs ergo huius pori in extremitate fuprema ovarii eft.

Forma *ovarii* huius a praecedentium valde

diverſa eſt, & cum nihil aptius comparatur, quam cum Uvarum pendente racemo, omnino ut in fig. 13. Tabulae tertiae D. PALLAS repraeſentatur. Matura haec, ut in Taenia vulgari, tota cum portiuncula diſci decidunt.

Si haec eadem cum illa non ſit, quam Ill. PALLAS ſub nomine *Taeniae latae* propoſuit, ſingularis ſane & notatu digna eſt varietas, niſi nova prorſus ſpecies, nec tum veram vidi. Certum autem omnino eſt, illam, quam prae oculis habui, & *Vos* iam hic cernitis, non niſi unico gaudere oſculo laterali, tum etiam, quod ovariorum forma a reliquorum differat, & botryoides ſit.

Niſi haec obſtarent, *Taeniam* tenellam, e libro D. PALLAS mutuandam iamque deſcribendam, eandem cum noſtra eſſe facile crederem.

Eandem in hac ſpecie materiam granuloſam quam in praecedente obſervavi, ad ovarii latera inveni.

Inter XVIII. & XIX. pedum Svecicorum longitudinem vidit ſaepe laudatus PALLAS.

Humana ſolum inhabitat inteſtina.

4. TAENIA *tenella*, capite - - -, oſculis lateralibus ſolitariis.

- - - PALLAS N. Nord. Beytr. V. I. p. 69. t. 1. f. 19.

Ab Ill. PALLAS tantum obſervata & in li-

bro citato defcripta ac delineata haec eft, qualis e tribus Petropoli aegrotis fecеffit. Longiffima harum XIX. pedum Svecicorum menfuram aequabat; fed latiffimi articuli vix ad tertiam pollicis partem accedebant, duarum linearum longitudinem habentes.

Ovariorum forma eadem cum *Taeniae vulgaris* fupra memorata, & *ofcula* centralia erant.

Margines non difco tenuiores, fed granulofa illa pellucidaque materia, de qua fupra monuimus, repleti.

Caput non vidit Cel. Inventor.

An vera fit fpecies vel faltem varietas Taeniae latae tempus docebit.

* * *

Iam vero fupereft, ut *Vobis* varias de via, per quam hi hofpites domicilium in Animalibus inprimis vero in humano genere, affequuntur, Auctorum opiniones tradam.

De generatione aequivoca, quae prolata funt commenta, repeti non magis merentur, quam caeterae de Vermium origine fabulae, in praecedentibus faeculis fictae. Neque enim in currente faeculo defuerunt, qui lepide de his fabulati funt. Id mihi autem dolet, quod VALLISNERI, cuius tot meritis in Hiftoria Naturali illuftre nomen, ex horum cenfu etiam fit. At vero rurfus non miror, illum, qui cum Crea-

tore, ingeniofo quodam audaciae genere, verum perverfo conatu, gloriam creationis partitus eft, Vermes ex concurfu molecularum organicarum fictitiarum congerere. Qui circa medium faeculi decimi octavi tales cudere potuit hypothefes, numne is fana ratione fuiffe abufum dici merito poterit? Quid tum porro de his ftatuendum, qui hifce fomniis adftipulari queunt? His igitur, cum fic fomniant Afcarides lumbricoides & Lumbricos terreftres eadem effe Animalia, nec Afcarides vermiculares & Cafei larvas differre, & Taenias aquas inhabitare, facillimum erit, originem horum Vermium in hominibus explicare.

Poftquam vero accuratior experientia docuit certis fpeciebus Homines tantum obnoxios effe, multifque Animalibus fuos effe proprios & ab humanis diverfiffimos Vermes inteftinales, difparuit quoque illa explicandi facilitas.

Viguit dein alia opinio, quod nempe horum Animalculorum ova cum alimentis vel potu hominibus fe infinuarent, ibique excluderentur. Ita credidit a LINNE' & BONNET, ita credit vel faltem credere videtur PALLAS, in libro faepius citato pag. 42. ita fe explicans. „ Quomodo autem Taeniarum propagatio in Animalium corporibus verofimiliter explicanda fit, haud difficile coniecturatur, dum modo in memoriam re-

vocamus, quomodo Pisces ab Avibus aquaticis in lacubus nuper existentibus stagnisque plantantur, & quomodo vorticellae in imbribus aliave in excelsis collecta aqua transportantur. Quaeque hunc propagationis modum, per ova Taeniarum extra corpus dispersa casuque per escam & potum in aliis Animalibus transportata, extra dubium ponunt, sunt: 1.o Huius mali in magnis Urbibus, densteque habitatis tractibus uberior disseminatio, praesertim ubi sordidiori vitae generi deditus est Populus, ubi atmosphaerae & Soli humiditas ovulorum fertilitatem diu etiam extra naturalia eorum hospitia praeservare valet, ac ubi aqua e cisternis, e puteis inopertis & fluminibus, quae ex ipsa Urbe varias immundities recipit, potus est maxime communis; quum e contra in iis Provinciis Russiae Sibiriaeque, ubi populatio recens raraque, uti etiam apud gentes vitam pastoralem nomadicamque agentes, omnes Vermium intestinalium species infrequentes sunt, & in feris Animalibus centies rariores quam in Europa. 2.o Constans illa aliorum Vermium in Animalibus sanguine calido praeditis hospitatio, aliorum in Avibus & Piscibus; quum ovula unde proveniunt, in his tantum ad eorum exclusionem & sustentationem necessarium inveniant calorem & alimentum, sine quibus corrumperen-

tur. Huc quoque facit 3.o Taeniae in neonatis (observatione iam Hippocratica vel saltem pervetusta), Animalibus inque infantibus mox post partum, immo ex animadversione Celebris olim Professoris Gottingensis BRENDEL etiam in nondum nato foetu visae; & tandem haud rarum illud phaenomenon, quod Taeniae saepe familiam vel cohabitantes personas mali endemici instar vexet ".

Vos autem A. *Dil.* fugere nequit, nonnulla horum etiam ab aliis ad oppositam stabiliendam opinionem adduci.

Argumentis Vermium intestinalium per ova propagationem demonstrare supervacaneum erit, qui autem ea desiderat, pulcherrimum maximeque palpabile inveniet in experimento a Nob. PALLAS instituto & libro eius nuper citato p. 58. allato. *Tentavi*, ait, *ova haec rubentia (Taeniae caninae L.) per parvum vulnus in abdomen catelli introducere, & mense elapso nonnullas veras Taeniolas, pollicem haud longas inter intestina inveni &c.*

Credo hypothesin de seminio verminoso congenito vetustatem olere; illam vero ad huius saeculi initium argumentis nonnullis fulcire conati sunt HARTSOEKER & VALLISNERI. Nec sectatores defuere, quamvis numero pauciores, donec Celeberrimi VAN PHELSUM, LESKE,

MULLER, BLOCH, GOEZE hanc opinionem pluribus luculentioribusque argumentis, ut solam veram, stabilire aggressi sunt.

Seminii verminosi congeniti Patroni in duas quasi abierunt sectas. Sunt enim qui Vermes intestinales iam in primo Adamo ponunt, ex quo per liquorem spermaticum in posteritatem propagatos statuunt. Haec vero hypothesis nulla verosimilitatis specie gaudet. Quomodo enim ex intestinis Patris in spermaticum liquorem & dehinc in ovulum Matris transferretur illud seminium? Si denique hinc genealogia Vermium intestinalium derivabitur, non minus quam tres vel quatuor Taeniarum totidemque Ascaridum species in unico illo Homine collocare necesse erit. Quale consortium! Effugium Cl. CLERC, quod nempe ovula in Adamo solum delituerint, & post lapsum demum exclusa sint, puerile mihi videtur, ab erudito Viro haud exspectandum. Qui per Patrem in infantes propagari posse Vermes asserit, concedat, necesse est, plurium specierum ovula simul ovo humano illabi.

Magis forte cum sana ratione & verosimilitudine congruit altera de seminio verminoso congenito opinio, quod nempe per Matrem propagetur, licet & haec magnis abundet difficultatibus.

Cl. BLOCH in egregio suo Opusculo duodecim argumenta adduxit, quibus omnia, quas

hypothesi huic aliquo modo favere videbantur congessit. Illa ideo prae caeteris examinare placet, cum breviter strictimque rem proposuit. Eo animo autem id non factum credatis velim, ut illam hypothesin subverterem, id enim audaciam saperet & nimiam in proprias vires fiduciam, verum ut *Vobis* demonstrem nihil certi inesse, nec firmiori illam stare talo, quam prior de ovulis extrorsum venientibus.

Nemo *Vestrum* credat minoris momenti esse, certitudinem etiam de hac re, si fieri potest, acquirere. Medico sane maximi erit momenti. Si enim satis sufficienterque nota esset via, qua de homine in hominem propagentur Vermes, & praeservatio & expulsio horum hospitum multo foret facilior, quum contra adhuc hodie de hac via omnino in tenebris versemur.

ARGUM. I.

Absentia horum Vermium extra Corpus Animale.

Vera quamvis esset haec assertio posse tamen propositam hypothesin illam firmari neutiquam video. Si enim vel hoc concederemus Dños LINNE', UNZER & GADD adeo similiter observasse, ut ne quidem Taeniae species fuerit, quam in locis ab iis commemoratis offen-

derint, quod absurdum foret, quamvis ambabus largimur manibus eos unam pro altera habuisse, nihil sequeretur. Multane sunt insecta, quorum metamorphoses ignoramus aeque ac metamorphoseos loca. Vim novimus *Furiae infernalis*, aliquatenus etiam ipsum Vermem; sed ubi habitat? quomodo propagatur? quomodo in atmosphaera elevatur? cur fini membra humana perforat? Quia Vermes intestinales nullibi extra corpora Animalium offendimus, ideo nullibi extra ea existere posse, non caute satis concludi mihi videtur. Concedo omnino, Vermes intestinales extra corpora Animalium habitantes repertos non esse, sed ideo asseverare non audeo illos alibi habitare non posse,

ARGUM. II.

Praesentia eorum in neonatis & non natis infantibus & animalibus iunioribus.

Hoc omnium fortissimum videtur argumentum; quomodo enim Animalia non nata Vermibus intestinalibus obnoxia forent, nisi a Matre communicarentur. Sed, licet plurima aestimatione & reverentia testes a Cl. BLOCH allatos prosequar, me tamen tenere nequeo, quin de eorum in hoc momento experientia idem iudicium

feram,

feram, quod Cel. BLOCH & alii de Linneana, Unzeriana & Gaddiana tulerunt. Saepe mihi oblatae fuerunt res a Medicis, de aliis ne loquar, pro Vermibus inteſtinalibus eorumque exuviis habitae, toto tamen caelo ab his diverſae, ſaepiuſque loco Vermium ipſe mucus inteſtinorum. De non natis neonatiſque ſermo tantum eſt. Mihi ſaltem minus probabile videtur, in foetu nuper formato, cui inteſtina ſaltem viſibilia nondum obtiguerunt, Vermium ova locum habere ibique excludi poſſe, vel etiam ad inteſtina iam ſub evolutione conſtituta viam invenire. Cum infantibus vero vel pullis aliquot ſaltem ſeptimanarum res aliter ſe habet; & quamvis caſus multum rarior omnino ſit, quam eſſe deberet, ſi ab utero iam Vermes ſecum aſportarent pulli; magnitudo Vermium in eiuſmodi infantibus pulliſve repertorum clare evincit, illos etiam neonatos eſſe. Caeterum vero non ſolum ova excludi, ſed Vermes iam ex ovulis excluſi incrementa etiam capere poſſe in neonatis, extra dubium poſuit experimentum Ill. PALLAS ſupra allatum. Haud facile dein concipitur, quomodo Vermium ova per plures annos in inteſtinis deliteſcere & foecunda conſervari, nec vero excludi, nec praeſentiam prodere poſſunt. Forte mihi obiiciatur, quod diu ſaepe hoſpitentur Vermes, inſcio ipſo hoſpitatore, id quod lu-

benter quoque concedam de nonnullis illorum speciebus. *Ascarides* vero *vermiculares* excipere necesse est. Hi in intestino recto qui nidulantur, praesentiam suam cito produnt, raro ante biennium observantur & plerumque circa aetatem duodecim annorum infantes infestare cessant. Si vero, quod rarissimum tamen est, evenerit, ut post aetatem viginti annorum quis Ascaridibus his laboret, certe aut iis destitutus fuit in infantia, aut intereapedo fuit plurium annorum inter eorum apparitiones. Sic virginem XL. annorum vidi, quae ad annum suum aetatis XXXV. ab omni Vermium intestinalium specie immunis, per ultimum quinquennium Ascaridibus multum laboravit. Ubi vero fuerunt ova vel potius proles donec duo usque ad septem vel plures annos transegerit infans, vel in casu allato ubi per XXXV. annos delituerunt. Quid eorum exclusionem impedire potuit? vel si secundum GOEZE vivipari sint, quod negare haud sustineo, quid prolis impedivit incrementum? Ubi sub periodorum intervallis delituerunt? Haec mihi totidem sunt mysteria. Sane, dum infantes Ascaridibus vermicularibus laborantes video, quorum parentes sub decursu viginti vel triginta annorum ante infantum existentiam, ab iis immunes fuere, non video modum, quo ex seminio congenito explicetur.

ARGUM. III.

Vermium in interioribus Corporis habitaculum.

Aliquantulum praecipitanter concludere mihi videtur celeberrimus Vir, dicens: *Si in illis corporis partibus Vermes intestinales offenduntur, quibus nullus ab extra aditus patet, & si etiam tales ibi obveniunt species, quas in tubo intestinali non invenimus, sine dubio Animalibus connati esse debent.*

Idem mihi haec verba innuere videntur, ac si dicerem: in eo loco, ubi Vermes intestinales observantur, ibi nati sunt; ova eorum non modo ipsum intrarunt foetum, verum etiam congruum sibi locum iam tum occuparunt, ibique una cum foetu explicati sunt ipsi Vermes.

Demonstrationis loco affert:

I. *Quod Fasciola intestinalis* LIN. *semper in abdomine nunquam in intestinis occurrat.*

Sed *Ligula Avium & Piscium* eius indubie una eademque est species. Illam Cel. BLOCH ipse in intestinis & cavitate abdominis pectorisque eiusdem Avis invenit. MONTIN in limbo Ostrearum, in intestinis humanis illam observavit. In variis sub cute locis non minus quam in intestinis *Soricis Moschati* repertam fuisse asserit D. GYLDENSTAEDT Berlin. Besch. 3. B.

p. 115. D. GOEZE p. 189. refert se missum Piscium Berolino accepisse, in quibus *Fasciola* haec partim per carnem dorso sese immersit, partim tota carne se abscondidit. Quae ergo via huic clausa est?

II. *Planaria hepatica vel Fasciola hepatica* LIN., *quae in eo corporis viscere tantum reperitur, unde nomen habuit.*

Conceditur facile, hunc Vermem tantum inveniri in hepate, sed non solum in ovium hepate, verum etiam in Bovum, Vitulorum, Suum & Equorum. In his omnibus quae occurrunt Planariae hepaticae perfecte sibi similes sunt, eandemque constituunt speciem. Ego vero hinc aliud profecto elicere non valeo, quam quod hepar solum illud sit viscus, in quo congruum inveniet habitaculum. Si possibile sit aliorum Vermium ovis, per sanguinis circulum in intestina & viscera introduci, cur ni eadem via hisce pateret? Non tantum in ipso hepatis parenchymate observantur, sed etiam in ductibus hepaticis, & nuper binos maiores in ipsa vena portarum *Vobis* praesentibus ovemque una dissecantibus cepi. Anne his ergo introitus etiam extrorsum pateat? Nec in hypothesi de seminio verminoso congenito multum favere videtur, quod Animalia quae in aridis siccisque campis pascuntur nunquam, quae vero in humidis de-

preſſiſque pabulantur hiſce ſaepiſſime hoſtibus vexari ſoleant.

III. *Vermis veſicularis taeniaeformis*, *quem in hepate murium tantum invenit* RUYSCH, HARTMAN &c.

Verum etiam in hepate Muris Norvegici, Muris Ratti, Muris amphibii & Leporis timidi inventus eſt.

IV. *Vermis veſicularis eremita*, *quem* TYSON, HARTMAN &c. *in cavitate abdominis & pectoris viderunt*.

Sed in Ovibus, Bobus, Cervis, Capreolis, Antilope Saiga, Suibuſque communis eſt, in cavitate & pectoris & abdominis obvenit; certus ideoque illi non eſt locus, nec proprium Animal, neque via illi magis quam praecedentibus recluſa; in ipſa enim hepatis ſubſtantia horum copiam vidi.

V. *Taenia ſocialis quam* D. BLOCH *aeque ac* ROCHOW, LESKE & GOEZE *in cerebro Ovium ſolum vidit*.

Quod in craniis tantum occurrat, id nihil omnino amplius evincit, quam ſecundum momentum de Planaria hepatica. In ſequentibus demonſtrabo, quod in aliis, praeter oves, Animalibus occurrere haud inſolitum ſit.

ARGUM. IV.

Vivi perſiſtunt in iis locis, ubi alia corpora digeruntur.

Quae ad corroborandum hoc argumentum adducuntur, haud bene intelligo, credoque aliquam hic ſubeſſe in concludendo praecipitantiam.

Quotidiana ſane evincit experientia, oſſa, grana, radices, cortices, ſtramina, carnem crudam, Animalia viva ab Animalibus Vermibus inteſtinalibus obnoxiis comedi & digeri. Haec autem omnia in ventriculo digeruntur, in quo, praeter parvas illas Lueii Planarias & Gordios facile inter ventriculi plicas conſervandas, Vermes nondum obſervati ſunt. Niſi ventriculus plane tono ſuo deſtitutus ſit & depravatus, alimentum inteſtina tenuia, ſedem primariam Vermium inteſtinalium, nunquam ingreditur, niſi coctum & in chymum converſum. Extra omne dubium eſt, quod inteſtinorum tenuiorum motus periſtalticus haud valeat mechanice quid conterere, in iis autem per commixtionem ſuccorum cum chymo chylificatio abſolvatur. Dura ergo quae deglutivit Animal, in ventriculo prius emolliuntur & ſolvuntur, quare nec mechanice agere poſſunt in Vermes in tenuioribus inteſtinis habitantes. Si vero adeo debilis eſt ventriculus,

ut concoctionem perficere non possit, adeo debilis quoque observatur motus intestinorum peristalticus, ut parum a transeuntibus indigestis incommodi habeant Vermes. Anatomia docet *Taenias* aeque ac *Ascarides lumbricoides* in intestinis tenuibus habitare & *Ascaridem tricocephalam* in caeco. Mirabile itaque cessat. Mirum magis id habeatur, quod expertus est Clar. BLOCH, dum circiter triginta Oestri larvas vivas in ventriculo *Falconis chrysaëti* (Berl. Beschäft. IV. p. 551.) quas ipse credit sub forma ovorum eo venisse ibique exclusas esse. Vix quis crediderit, illas locum suum a Creatore iis destinatum in ventriculo huius Avis habere. Multo magis mirum larvas Muscarum in acerrimo Caseo, in putrido cadavere, & larvas *Tenebrionis Molitoris* in clupea aceto vini condita excludi & vivere, quod tamen ipse expertus sum. Nec minori admiratione dignum, quod *Ascarides ventriculi* WERNERI vel *Podurae* a Dom. LUPI (*a*) observatae in intestinis hominum, loco illis sane peregrino, excludi & crescere possint. Interea, quamvis ex eo, quod Vermes intestinales in corpore animali vitam transigere, ibique bene se habere possint, sequeretur, eis destinatum esse in Animalium corporibus hospitium, non

(*a*) Avvisi sopra la salute umana. Vol. V. p. 229.

video alteram consequentiam, quod scilicet connati sint, pleno satis alveo fluere.

ARGUM. V.

In corporibus Animalium bene se habent &c.

ARGUM. VI.

Extra corpus animale cito moriuntur.

Idem valent ac quartum argumentum.

ARGUM. VII.

Diversa Animalia suos sibique proprios habent Vermes.

Multas omnino exceptiones patitur haec hypothesis.

Fasciola intestinalis reperta est in Homine, in Sorice Moschato, in Mergo Merganfere, in Mergo albello, in Colymbo aurito, in Cyprino Blicca, in Cyprino Tinca, in Cyprino Alburno, in Cyprino Gobione, in Cyprino Gibela, in Cobite aculeata, in Ostreis. Hospitatur ergo in quatuor Classium Animalibus variisque speciebus. Contendit Cel. BLOCH quod Fasciola ver-

ſus illud tempus, quo increſcere debent ovula & ſperma Piſcium, horum abdomen perforet, foraſque ſe conferat, ut in aqua pereat. Fieri hoc poteſt; ſed parum nimis de eius oeconomia novimus, ut hoc pro certo aſſumi queat. Forte tum hoſpitium in aliis teſtaceis, quemadmodum etiam in Oſtreis obſervatum eſt, quaerit, vel ipſum aquae fundum petit. Sed ſi ponamus illum hinc interire, cum ova, ſi quae ei ſint, depoſuit, quomodo haec in prolem Piſcium propagabuntur?

Planariam hepaticam in Ovibus, Bobus, Suibus, Equis invenire nuper monui.

Taeniam lanceolatam nodoſam ſuam ipſe Cl. BLOCH in Mergo Merganſere & albello,

Taeniam lineatam in Anate acuta & circia,

Taeniam articulis conoideis in Anate Clangula & Fulica, & quod notandum in Otide Tarda,

Taeniam collo longiſſimo in Anate Boſchate & Penelope,

Taeniam cylindraceam in Falcone lanario; buteone & Turdo viſcivoro,

Taeniam laevem in Anate clangula & clypeata,

Taeniam capite truncato in Salmone Salar & maraena invenit, eandemque Nob. PALLAS, in Gado barbato, Pleuronectibus, Gado Morrhua &c. reperiit.

Conceditne Cl. BLOCH, *Taeniam caninam* in Canibus, Vulpibus, Lupis habitare?

Nuper monui *Vermem vesicularem taeniaeformem* in pluribus Animalium speciebus aeque ac *Vermem vesicularem Eremitam* inveniri.

Vermis vesicularis socialis vel *Taenia cerebrina* non solas Oves infestat. SCHEUCHZER huius testimonium haud facile reiiciendum dedit. Quum liber eius in omnium non versetur manibus, ex Itineribus Alpinis totam eius relationem adducere placet.

„ Accidit anno 1699. ut Rupicapra (Capra Rupicapra LINNEI), quod genus Animalium saxa editissima; scopulosque praeruptos raro deserit, sponte descenderit in pascua, ibique sese Equis Vaccisque immiscuerit, imo non lapidibus inde se abigi passa fuerit. Insolitae rei narratione commotus Venator se accingit, & quod communiter vix maximo labore, nec sine vitae periculo agit, facillime globo sclopetario Capram traiicit. Rev. Pater ex Nobili Zulaubiorum famila Tugina oriundus, Vir rerum naturalium studiosissimus Rupicapram in Coenobium delatam anatomico cultro subiicit, curiosus quid caussae latere possit in una ex partibus corporis principibus tam rarae transmigrationis, atque intra cranium invenit durae Menningi instratam Hydatidem sero arenulisque repletam. Vertigine

laboravit haud dubiae haec Fera, cuius Hepar alias Scotomiam curare dicitur, teste *Velsch Hecatost.* 11. Obs. 62. Nam ecce observationem practicam aliam, quam nec in Nosocomiis Laboratoriisve Chirurgicis vidi, nec a Praeceptoribus didici, in Alpibus satis frequentem! Accidit quandoque, ut Vaccae attonitae, veluti nihil attendentes consistant, vel perpetuo in gyrum sese moveant & aquarum fluentium susurrum sequantur, usque dum devenerint ad torrentem vel flumen, ad cuius ripam pedem figunt, ac si ex blando susurrantis aquae sono delectamentum perciperent. Accersitur sine mora Operator Veterinarius, hic plerumque in medio Vaccae fronte trepanationem instituit, sed non artificiosissimam illam in capite humano celebrari solitam a Chirurgis, verum simpliciorem longe; cutem incidit scalpello culinario acuto; Modiolorum loco utitur etiam cultro, eoque in gyrum manu acto cranium sensim perforat; initio quidem, quod probe norunt Anatomes omnes gnari, secure & cito, sub finem vero tarde & caute. Denudata Menninge, coram foramine sese sistit Hydatis, seu aqua repleta vesicula, vel ope fili ferrei hamati inter cranium & duram Matrem introacti quaeritur, & eodem hoc instrumento rudi extrahitur. Hoc facto singulis diebus vulnus deligant & emplasticis curant. Quod si alterutro

cerebri hemisphaerio incumbat Hydatis, tunc observant Operatores, num gyrum interiorem formet dextrum aegre latus, vel sinistrum, nam ex illo latere Trepanationem instituunt, atque vesicam extrahunt. Ita sit Diagnosis & Therapia. Prognosin si spectemus, non omnes ex hac operatione vitam, quae periclitatur, recuperant, sed magna aegrarum pars moritur. De Vaccis ipsis, si hoc affectu laborent, dicunt, *sie seyen sturmig.* Vide libr. cit. ed. 1723. p. 25. 26. ".

Echinorhyncus capite & collo armato referente D. BLOCH in omnibus Piscium speciebus reperitur.

Ascarides teretes in Canibus, Felibus, Columbis, Falcone buteone ac milvo, in Turdo iliaco, in Gallinis, Meleagridibus, Anatibus &c. vidit Cel. GOEZE,

Ascarides subulatos in diversis Ranarum speciebus,

Echinorhynchos in diversis Avium Pisciumque generibus,

Taeniam serratam & monilliformem in Canibus Felibusque,

Taeniam pusillam in Mure musculo & Ratto,

Taeniam pectinatam in Leporibus & Cuniculis,

Taeniam infundibuliformem in Gallinis, Anatibus feris, Anferibus feris & Otide Tarda,

Taeniam ferpentiformem in quatuor Corvi fpeciebus idem invenit Vir laboriofiffimus.

Pluribus exemplis haud opus eft, ut vacillaus hypothefeos demonftratio lucide appareat. Quotne Animalium fectiones adhuc reftant inftituendae, antequam certi quid in hac re ftatui queat?

Si quaevis Vermis fpecies genus Animalis naturale tantum habitaret, aliquid forte quod hypothefi de feminio verminofo congenito faveret, exinde educi poffet; iam vero quum eadem Vermis fpecies in Animalibus diftincti generis, diverfi Ordinis & Claffis reperiatur, collabafcunt & argumentum & confequentiae.

Quod Animalia idem elementum inhabitantia, eodem nutrita alimento non eadem femper Vermium fpecie infeftentur, clare demonftrat oeconomiam animalem horum diverfam effe, & confequenter diverfis Vermium inteftinalium fpeciebus accommodatam. Larva Phalaenae Mori non omnium Arborum foliis vefcitur, quemadmodum nec omnium Phalaenarum Larvae Mori foliis pafcantur.

ARGUM. VIII.

Vermium intestinalium structura.

Qui Creatorem negat, is solum negare potest cunctis creaturis tot taliaque data esse instrumenta, quibus opus habent ad sui conservationem. Ex eo autem, quod Vermibus intestinalibus desint oculi, tentacula, arma &c. concludere velle, quod creati sint, ad vitam in interaneis vel intestinis reliquorum Animalium peragendam, mihi minus aptum videtur. Omnino quidem ignoramus, an nulla detur Vermis species cui oculi concessi sint, licet eos in paucissimis adesse credamus, at enim vero, quod nec *Gordii* neque *Lumbrici*, *Sipunculi*, *Hirudines*, *Myxine*, *Lernaeae*, *Medusae*, *Asteriae*, *Echini*, *Incolae Testaceorum bivalvium*, *omnia Litho-& Zoophyta* oculis praedita sunt, notissimum est. Non minus dubio caret *Gordiis*, *Lumbricis*, *Sipunculis*, *Hirudinibus*, *Myxini* &c. nulla esse tentacula. Ex eo autem nemo certe iudicabit, creatos eum in finem esse, ut alia inhabitarent Animalia. Inermes plurimi sunt Vermes. Arma proprie sic dicta nullo scio Vermi esse, nam domus Testaceorum & Corallium Lithophytorum vix quisquam pro armis habeat. Ergo ex his nulla valet conclusio.

Quod veneno aliquo Animal enecetur, salvis Vermibus eius intestinalibus haud mirum est. quotne exempla adsunt, quae demonstrant, ea, quae veneni instar in hoc vel illo Animali agant, alteri esse innocua. Saccharum, sal commune & sal ammoniacum Lumbricos terrestres cito necant, Formicae autem & Termes sacharo pascuntur. Muria, etiam debilior, plurima insecta & larvas interficit; quot ne autem Vermium species in aqua marina vivunt, aliae dum in hac intereunt? Cicuta Vaccam perimit, Capra eam impune decerpit. Aconitum quod venenum Capris, Equis maxime est salutare. Eiusmodi exempla plura *Vobis* enumerare supervacaneum duco. Ex his sine ambagibus sequitur, ut horum Animalium constitutio tam externa quam interna longe sit diversissima. Caeterum certum est, venena saepe lethales suos edidisse effectus, antequam ad Vermium stationem perveneront. Memini me alicubi legisse, pulvere Tabaci interfici posse incolas Testaceorum. Quoties hoc feci experimentum, toties industriam, qua huius veneni vim effugere ac depellere adnitatur Vermis, miratus sum. Eo ipso, quo Tabaci pulvis aspergitur momento, citissime & quasi cum vehementia quendam liquorem emittunt tenacissimum vesiculis repletum, qui Tabaci pulverem a superficie corporis removet, & tandem post varios

e-& ingressus mucum tunicae instar exuit, quocum sequitur Tabacum. Si pluries haec repetuntur; languescunt & tandem moriuntur. Quum multas habeo rationes, cur plurima sic dicta Anthelminthica fini proposito minus inservientia credam, optavi saepe, ut eodem modo experimenta cum intestinalibus Vermibus institui possent; fallor enim, an conclusio ab experimentis in aliorum Animalium Vermibus factis, ad humanos tuta sit futura.

ARGUM. IX.

Multitudo ovorum eorum.

Quamvis fidem omnem superare videtur, singulis Vermibus intestinalibus ad millies usque mille ovorum inesse, qui certe numerus in variis speciebus diminui insigniter poterit; D. GOEZE e. gr. numerum prolis in *Taenia cerebrina* ad 309. tantum aestimat; soli tamen hi non sunt, qui eo gaudent beneficio. In ovario unius *Gadi Morrhuae* dum 9344,000. ova numerantur uno anno deponenda, an *Taeniae* cuiusdam cum hoc numero aequiparari poterit? Ill. REAUMUR in corpore unius *Muscae* (Mem. T. 4. p. 419.) 20000. larvas computavit. Immensus sane numerus, licet ad millies millena non ascendat. Quod

Quod ex grandi ovorum numero in praesenti casu certo concludi posset, meo quidem iudicio, eo redit, ut, quo magis exposita sint interitui, vel ut ova, vel sub prolis forma: eo maiori eorum numero Sapientissimus Creator parentes ditavit. Aliam exinde deduci posse conclusionem non video; nec quid impediat quominus idem de Piscibus, Vermibus terrestribus & aquaticis valuerit.

ARGUM. X.

Maior Foeminarum numerus.

Nec in hoc argumento aliqua video, quae hypothesi faverent demonstrandae. Ego vero ex hac observatione, in duabus forte vel tribus speciebus instituta, concluderem 1.o minorem marium numerum sufficere ad plures foeminas foecundandas vel 2.o quod producendo minorem marium numerum, nimiae horum Vermium propagationi obicem quasi ponere voluit Summus Creator.

ARGUM. XI.

Vermes intestinales unius Animalis in alio propagari se non sinunt.

In iis quibus adhuc versamur tenebris, haec assertio aliquantulum audax videtur. Fasciis vix exuta est de Vermibus his cognitio, quamquam in ea desudarunt Viri debita laude nunquam fraudandi. Forte etiam ab illo longissime temporis momento absumus, cum eorum oeconomiae, sublatis omnibus quae huic adversentur difficultatibus, indubiae cuiusdam certaeque scientiae spes affulgeat; etiamsi vel serie haud interrupta plures LINNEOS, MULLEROS, LESKEOS, BLOCHIOS, GOEZEOS, numerare liceret.

Multum omnino deest, quominus methodus a D. BLOCH adhibita, proposito fini inserviat. Eius verba sunt: *saepius Ligulam Piscium & Taeniam Lucii anseribus anatibusque obtuli, quas quoque vivas ingurgitabant. Etiam Gallinae se iis associabant aliquasque dilaceratas deglutiebant. Quum demum diverso tempore has aves mactatas visitabam, ne vestigium horum Vermium se offerebat, sed solum iis proprios. Vidi &c.*

Quaestio autem, de qua ne verbulum facit

Cel. BLOCH, necessaria est: num hae Taeniae Lucii eo tempore maturis ovariis instructae essent?

Caeterum, antequam hoc respectu pericula certi quid determinantia institui possunt, variae solvi debent quaestiones, v. gr.

An ovula Vermium ventriculum Anatum pervadere possint absque destructione? Si vero eorum ventriculus ita constructus sit, ut ovula Vermium ab eius actione destrui debeant, an casu nonnulla integra & incorrupta pervadere possint nec ne?

An ventriculus in Pullo & Gallina eadem vi agat? Quaeque in Gallinae ventriculo triturantur & digeruntur, an indigesta Pulli ventriculum permeare possint? Et sic quoque in reliquis Animalibus!

An *Taenia Lucii* aeque in Gallina locum congruum inveniat, ac *Taenia articulis conoideis* in Anate & Otide?

An fieri possit, ut ovula *Taeniae Lucii* in Gallinae intestinis excludantur, quamquam non magis congruum ibi invenient pabulum, quam Phalaena Mori in Pinu?

Si experimenta, haecce dubia illustrantia, instituì debent, fiant, necesse est, via a Nob. PALLAS indicata, vel saltem in Animalibus teneris cumque ovariis maturis.

ARGUM. XII.

In corpore animali haud ſemper morbum efficiunt Vermes inteſtinales.

Eo melius! Sed unde hoc concludimus? ab experientia in humano corpore facta. De ſenſationibus reliquorum Animalium fere nihil nobis patet. Quotne Boves quotannis mactantur, qui calculo felleo laborent? quot Vaccae tophos gerentes? quod Sues, quorum caro glandulis praeternaturalibus (*a*) denſiſſime ſtipata? abſque ullo morbi externo ſigno. Hae vero obſervationes forte Nob. MULLER adduxerunt, ut in Nov. Act. Hafn. Vol. 1. p. 96. ſtatueret, quod *Taenia iis Animalibus quibus contigit alimento uti naturali, vix dolores creet*. Cel. GOEZE illud vix perferre non potuit, ſed ſine omni exceptione generaliter ſtatuit p. 56., *quod Animalibus in libertate naturali & uniformitate inviolata conſtitutis morbus non ſit, ſi tot quoque Vermibus obſeſſi ſint*. Huic ex tripode dictae ſententiae quid regeram, non habeo, niſi

(*a*) Has glandulas nidos eſſe Taeniae, quam Veſicariam lobatam vocat, primus detexit oculatiſſimus O. FABRICIUS. Vide Nye Saml. af det Kongl. Danske Widenskabs Selſkabs Skrift. 2. D. p. 287.

forte quod non videam quomodo Celeberrimo Viro in mentem venire potuerit rotundum adeo praecepsque ferre iudicium. Qui enim longe plura, quam Celeb. GOEZE vidit Animalia, sincere confitetur, se in hac re nihil, nisi coniectando, scire. Quotne Animalium millia per totum terrarum orbem, ex iis etiam quae naturali gaudent libertate, moriuntur, ex morbis caussisve morborum nobis plane ignoratis. Singularem in Fauna Groenl. p. 272. affert observationem amicus honorandus D. O. FABRICIUS, quum de Ascaride Phocae sermo sit: *Vermiculis his quam plurimis fere consumptum vidi cor Phocae foetidae attamen vivae; cor autem antea harpagine vulneratum erat.* Eiusmodi vero casus a Cel. GOEZE forte excipiuntur.

Anne morbi dentur sine dolore?

Anne dolores pati possunt Animalia sine lamentis?

Quomodo explicandum hoc est, quod e tribus eorundem Parentum Infantibus duo Vermibus sine dolore obnoxii sint, tertius autem misere his crucietur?

Anne ipsa Vermium intestinalium praesentia morbus (*a*) sit, vel saltem perpetuo imminens morbi caussa?

(*a*) Suis maialis aegrotantis hepar examinavi. Re-

Anne *Taenia cerebrina* in casu a SCHEU-CHZERO descripto morbus fuit?

Thesis autem Clarissimi BLOCH vera est, tametsi non videam, quomodo exinde demonstrari queat vel Vermium intestinalium destinatio, vel quod connati sint. Potius contrarium sequeretur; nam ex eo, quod fortuito morbo caussam praebeant, sequi videretur eos casu quodam illuc venisse.

Ut ulterius demonstretur seminium verminosum Animalibus congenitum, duo insuper argumenta addocit Cel. BLOCH scil. *Ova ibi semper inveniuntur, ubi proles nutrimentum habeat, &*

---

pletum erat hydatidibus a pisi ad ovi gallinacei magnitudinem insignibus vixque numerabilibus. Singula hydatis unam ad tres Taenias vesiculares continebat, quaeque hydatides adeo exacte replebant, ut difficillime haec aperiretur sine illarum ruptura. Reliqua viscera sana. Aegrotant ergo ex his Animalia. Dupla ex illis fuit hepatis magnitudo, in cuius dissectione varia didici mihi non antea nota; vidi enim manifeste Taenias has duplici constare membrana; vidi etiam sacculos, qui Taenias ovi magnitudinem adeptas continuerant, demum contrahi, ut pisi maioris magnitudinem non superarent. Tuberculorum forma apparebant & duritie insigni gaudebant. E discisso caute eiusmodi sacculo integram complicatamque aqua vacuam vesicam facile expressi, dein explicavi, ac vidi illam magnitudini nuper nominatae aequalem esse.

Animalia eodem suſtentata nutrimento diverſos habent Vermes.

Ad prius quod attinet, cum experientia omnino congruit, licet exceptiones non deſint. Si vero naturam univerſe ſpectemus, univerſalioribus oeconomicis legibus adnumeranda eſt haec regula. Apud Amphibia, Piſces, Inſecta non ſine venerabunda admiratione obſervamus a Summo Moderatore iis datum inſtinctum, quo tempore ovorum depoſitioni deſtinato appropinquante nolentes volentes ea quaerere cogantur loca, ubi proles & ſecuritatem & eſcam inveniant. Apud Vermes generatim, quas ſequi non poſſumus, idem locum habere, fas eſt credere. Quod autem ad Vermes inteſtinales attinet, neceſſitate coacti videntur ſine inſtinctu, ova ibi deponere, ubi ſunt, quum iis non competat habitacula mutandi facultas. Ex eo autem concludere velle, quod nobis connati ſint, non magis congruens mihi videtur, quam ſi dicerem, quia *Pediculus ricinoides* Surinamenſium *Tique* in gramine alias habitans, & *Pulex penetrans* Americanorum *Chique*, qui in ſabulo, cineribus, arundine Sacchari expreſſa vivit, in pedibus ſervorum denudatis ova ſua deponant, ut ibi excludantur, illis connatos eſſe debere; exempla ex Vena medinenſi, Larvis larvarum, Lernaeis piſcium, Gordiis piſcium ſubcutaneis petenda ut reticeam.

Posterius vero, vel *quod Animalia eodem sustentata nutrimento diversos habent Vermes* antea demonstravi minus fidum esse fundamentum. Exemplis ad septimum argumentum allatis patet nec statui posse, quod Animalia eodem nutrita alimento diversos habeant Vermes, nec diverso substentata alimento communes fovere Vermes; utraque enim conclusio aeque lubrico nititur fundamento.

Iam vero alias nonnullas huius systematis sequelas examinare lubet.

Si Vermes Animalibus congeniti sunt, continuata serie a parentibus in infantes propagari debeant, necesse est. Ideo non contendo necessario sequi; ut omnes infantes a parentibus verminosis progeniti etiam verminosi sint, nam multa sunt, quae id prohibere possunt. Hoc autem necessario sequitur, ut infantes, quorum parentes nunquam Vermibus obnoxii fuere, nec unquam Vermibus laborent. Iam vero casus mihi optime notus est duodecim infantum, quorum cum neuter parens unquam Taeniis laboraverit, unica sexus sequioris varias excreverit Taenias duplicis speciei, caeteris ab his plane immunibus.

Assumamus vero, quod per parentes propagentur. Absurdum esse a Patre communicationem statuere antea monui, a Matre itaque provenient.

Iam Mater ergo Vermibus laborat. Hi ſub graviditatis ſtatu ova ſua in eius inteſtinis deponunt. Hic ab ampullis orificia vaſorum lacteorum conſtituentibus abſorbentur. Inde Chylum ſequuntur ad eius receptaculum, dehinc ad ſubclaviam ſiniſtram vel dextram ut ſanguini commiſceantur, totumque eius perficiant circulum; ac per aortam deſcendentem vel arterias renales ad ſpermaticas, iliacas internas vel hypogaſtricas, cuius ramum arteria uterina conſtituit, quae etiam a pudenda interna provenit. Hac via ducantur neceſſe eſt, ut cum Placenta indeque per funiculum umbilicalem cum foetu communicentur. Ultima vero communicatio adeo anguſtis perficitur meatibus, ut vix unum e centum, forte mille periculum ſucceſſit, illos liquore colorato vel Hydrargyro iniiciendi.

Omnes iam licet breviſſime enumeratos receſſus & anguſtias tranſire debent ovula, ſi a Matre in prolem propagentur, proprieque congeniti dici poſſint, inque foetu non nato reperiri. Verum huc perlati vix ultra dimidiam tranſegerunt viam. Eadem enim, licet retrograda, via ſupereſt, ut e vaſis umbilicalibus in inteſtina foetus deveniant. Ex obſervatione LIEBERKUHNII viginti quinque villi inteſtinorum aream lineae quadratae occupant. Notum demum eſt, quemcunque villum ampullula conſtare, quae

ſpungioſa ſubſtantia veſtitur & octo praeterea folliculis mucoſis circumdatur. Ex his facile intelligitur ampullas has tubis capillaribus tenuiores eſſe. Si denique apud adultum hominem ea gaudent ſubtilitate, quam ſubtilia ſintne in foetu? An itaque Vermium ovulis tranſitum concedent? Video equidem Cel. GOEZE ovula Vermium vulgo ſic dicta non pro ovis habere, ſed pro ovorum ſacculis. Credit ſe ope inſtrumenti preſſorii vera ovula cum foetubus iam formatis detegiſſe, & in quocunque ſacculo ad XII. ovula numeravit; ſed curioſiſſima haec obſervatio confirmatione opus habet.

Si vero ovula ab huius itineris anguſtiis liberare velimus, neceſſaria quamvis ſi cum foetu in lucem venient, via multum abbreviari poteſt. In ubera praebente, ſive Mater ſit ſive Nutrix, & ſubclavia ad mammarias & thoracicas longas deviare debent, vel per ramum brachialis qui ad mammas tendit, ad ſubſtantiam glanduloſam pergent, dein ad ductus galactophoros ipſamque papillam viam invenient.

Sit iam quod nihil omnino ovulorum tranſitum per has ambages impediat, quomodo vias permetietur viva proles Vermium viviparorum, etiam in parvis Animalibus, Mure Muſculo e. gr.?

Poſita vero veritate Seminii Verminoſi congeniti omni adverſatur explicationi eorum pro-

pagatio in Animalibus quorum ova extra corpus maternum excluduntur, sive Avium sint, sive Amphibiorum vel Piscium. Quomodo enim ovula vel proles in horum ova introduci possent? Si moleculae organicae adeo ad omnia inde fingenda commodae essent, ut sibi finxit Comes BUFFON, facilis erit explicationi via; vereor autem ne etiam haec fabula ad nugas pertineat. Optarem, ut aliquis observator microscopicus scientia, oculis & patientia huic operi necessariis instructus, hanc rem illustrare vellet; sed simul opto, ut a praeiudiciis liber sit, nec videat, ut vidit C. BUFFON, dum Animalcula infusoria observaret, ita scilicet ut videre vellet, pro sua firmanda amata hypothesi.

Taenia cerebrina paradoxon mihi est. In cranio habitat, cerebro incumbens. Propagari videtur per vivam prolem. Quomodo autem absorbetur haec per vasa in confiniis praesentia, ac ad uterum Ovis vel ad eius intestina ut inde ad mammas transportetur, & dehinc per omnes in foetu vel Agno lactante recessus ad cerebrum usque deportetur?

An hic per aliquot annos in sopore quasi iaceant, antequam increscant?

An cerebrum Ovium, Rupicaprarum, Boum ita comparatum est, ut pressionem, suctionem, aculeorum capitis puncturam, donec magnitudi-

nem insignem adepta sit vesica; perferat; absque ullo Animalis incommodo?

Quaenam erit ratio, cur Agnus, Ovis, Aries, Vacca ab hac infestentur, quorum parentes ne minimum signum praesentis Taeniae cerebrinae unquam dederunt?

Sane, qui haec dubia solvit, & solide solvit, statua aeque dignus est ac *Montgolfier*.

Ingenue fateor, unam hypothesin non minus obscuram esse, quam alteram: fateor etiam me nescire, quae vera sit harum, nec opinari me audere ob difficultates ab utraque parte mihi impenetrabiles. Dies forte docebit.



ERNESTI GOTTLOB BOSE
P. ET ORD. LIPSIENSIS
ET
CAROL. GODOFR. DEUTRICH
HAYNA-MISN.

DE MORBIS MENTIS DELICTA EXCUSANTIBUS

Lipsiae 1774.

§. I.

Instituti Ratio.

MUltum utique reipublicae integritati interest, praecavere, ne parti eius cuicunque vel levissima inferatur noxa: siquidem eodem fere modo omnia inter se cohaerent, prout in corpore nostro humano, ut unius membri actio alterius sit incitamentum, nullumque possit labefactari, quin noxa ad universum redundet. Sicuti autem morborum multorum caussae in minus accurata ob-

ſervatione earum rerum continentur; quae ad ſanitatem licet pertinent, eam tamen neglectae laceſſunt, aliae vero ſponte, aut nihil conferentibus nobis, enaſcuntur: ſic etiam perturbationes reipublicae ex voluntate & accedente membrorum adiumento fiunt, aliae contra inſciis aut invitis illis excitantur. Priorum culpam recte ferunt, qui delinquunt, poſteriorum non imputandam eſſe auctori cenſetur. Hinc in gravioribus quoque delictis iuſti rerum arbitri eo ſemper reſpicere iubent, ut pateat, num culpa aut dolus in eum cadat, qui tale commiſit. Si enim utrumque illi nequeat tribui, nec poenae locum eſſe decernunt. Multae autem ſunt conditiones, quae ad iuris peritos tantum videntur ſpectare, ut, ſi ex improviſo & fortunae iniquitate periculum mortis acciderit, quas vero noſtras iam non facimus; aliae ad Medicos pertinent, de quibus illi audiendi ſunt. Has inter omnis morbus mentis eſt, qui de vero, iuſto & conveniente iudicare impedit, illeque primum quaſi locum occupat, ita quidem, ut nec excuſatio valeat, quin ex illo fonte liquido promanet. Sunt autem noſtris temporibus exempla eorum proh dolor non rara, quibus atrocia & humanitati fere adverſa committuntur delicta, quae num ex malitia & intentione, utrum ex debilitate veri iudicii & conſilii praegreſſi dedu-

cenda sint, ambiguos tenere possunt eos, qui iustitiae praesunt, vel a reorum defensoribus in descriptionem adducuntur. Hinc inaugurali huic disceptationem non incongruum esse argumentum credidimus, si morborum mentis eam proponeremus naturam, quae liberando ei sufficiat, cui infelicem perpetrandi facinoris, alias detestabilis, largiti sunt occasionem. Ita vero de his disserendum esse duximus, ut ex indole, caussisque, per signa dignoscendis appareat, num delictum ex iis excusationem admittat. Vehementer autem abhorremus ab eorum hallucinatione, qui omnes eiusmodi delinquentes, ipso, quo deficiunt, tempore furiosos nec mentis compotes habendos esse sibi imaginantur, quum multum discrepet, ab impetu animi vehementiore agitari, ac vera ratione deficiente mala committere, quae pro iustis adsumi debeant licitisque operibus.

§. II.

Morborum mentis descriptio.

Ea quidem mentis humanae natura est, quae mutationis capax non sit, quum immortali eius substantiae non competat defectus & interna quasi mutatio, ut menti ea propter morbus

vel imbecillitas nulla adiudicanda sit: eae deinceps eius vires sunt, quae in idearum formatione, compositione, comparatione, voluntate & iudicio spectantur, quae abesse pariter nequeunt, quaeque eius eminentioris eximiaeque indolis indicia praebent largissima. Mentem tamen aliqua sui laborare debilitate aut morbo affici dicimus, si observamus eam discrepantiam facultatum, quae rectae rationi non conveniat. Quum enim idearum ortus maxime ex sensibus proficiscatur, illi vero, si integri fuerint, iis rite & recte producendis sufficiant, dum conveniens iis, quas externa caussa in nervos fecit, impressionibus in mente excitatur actio, omnis is eventus aliquam mentis imbecillitatem denotat, qui sensationes producat, externis ideas efficientibus, caussis non accommodatas. Quaenam in nervo mutatio producatur, nunc quidem minime pervestigare audemus, quum eandem cogitatione tantum, omni vero subtilissima indagatione anatomica adsequi neutiquam possimus, eam vero certo contingere, absque omni dubitatione adseverare debemus, quod nervo quocunque demum modo laeso, omnis, quae ad cerebrum, illo agitato, transfertur actio interrumpitur vel cessat, quin potius mutationem ad nervi usque originem propagari inde iure concluditur. Quodsi ergo in ipso encephalo nervi cuiusdam eveniat mutatio,

quae ſit analoga aut prorſus eadem cum illa, quam cauſſa quaedam externa produxit, eandem inde excitari ideam in propatulo eſt. Sic enim per inſomnia ideas non revocari tantum & ſemel productas denuo apparere, ſed novas componi atque progenerari obſervamus (a). Attamen hanc mentis noſtrae praerogativam, naturalem potius, id eſt, eius naturae aptam, quam morboſam dixeris, recte quidem, nec in ea conditione vitium quaeſiveris: ſed ex eiuſmodi productis ideis naſcitur iudicium, quod veritatem non continet, ſeu natas, ab externa quadam ſenſorii perturbatione ideas cum iis, ſponte intus genitis, confundit. Aeque enim menti ac corporibus diverſi roboris gradus inſunt, per facultatum diverſarum exercitium liberius vel difficilius dignoſcendi. Occurrunt nempe homines, quos fatuos aut ſtupidos appellant, ea hebetudine animi inſtructos, ut ab externis cauſſis, nervos adficientibus, parum vel nihil mutentur, multo minus internorum, quos vocant, ſenſuum impreſſionibus commoveantur, & uno verbo, egregiarum mentis facultatum uſu maximam partem priventur. Eſt vero in his nihilo

(a) Vid. VAN SWIETEN Comment. in BOERHAAVE. Tom. II, p. 320.

secius eadem ac in aliis mentis natura, quae tantum pauciores nervi impressiones admittat, & eam ob rationem, quod a reliquis non aeque adficiatur, vitio imbecillitatis laborare dicitur. Haec si immutabilis est, caussam aliquam physicam, in corpore latentem, praesupponit, verusque morbus dici meretur; si vero mutationem admittit, in neglectu curae, quae menti adhibenda est, saepe caussam quaerendam esse manifestat. Utriusque pervestigatione opus est, in caussis ad forum pertinentibus. Quantum enim studium & applicatio decens ad confirmandam mentem, acuendum ingenium & perpoliendum iudicium valeat, quotidiana loquitur experientia, si plebeium hominem, rusticum, urbanum & eruditum inter se conferre libuerit. Eos enim, quibus a natura stupidi quidquam inesse suspicamur, nihilo secius quandoque ad excellentiam pervenisse observamus, dum modo studiosam ad excolendam mentem adhibuerint solertiam, nec corporis vitiis detineantur. Haec nosse & develando indagare Medicorum est, inprimis, quod iis sublatis, mentis etiam morbus superari possit. Aliud deinde vitium nascitur, quam primum vivida illa, diversissimas contemplandi ideas facultas, & quae inter eas vagando quasi, aliquas ex reliquarum serie protractas, iungit & conferendo unit, vel unicae aut simplici seriei tantum

ita inhaeret ; ut ab ea aegerrime fecedat , quia productam iterum iterumque repetat. Tunc etiam derelictum quafi corpus vehementer in fui nutritione laeditur , homine fcilicet in diuturno & pertinaci , ut BOERHAAVIUS (*a*) declarat , delirio verfante , quem morbum veteres ab atra bile melancholiam nuncuparunt , quae furore & agitatione corporis gravi accedente tantum a mania difcrepat , immo in nervorum concuffiones & conquaffationes involuntarias abit feu epilepfiam . Haec quidem aliquando ineptitudinis nervorum medela eft , quod a nervis , epilepfia accedente id , quod labem fecit , excutitur , aliquando ob principia nervorum , vehementius affecta , recte valentes mente reddit imbecilles & fatuos . Eft vero in his quoque morbis mentis , quod in variis corporis morborum generibus deprehendimus , ut periodos nonnunquam habeant , & intercalaria tempora ; quam quidem conditionem , a Medico Clinico maxime attendendam , forenfi fumme neceffariam & ftudiofiffime inquirendam effe iudicamus , quum fine illius confideratione de delicti imputatione nihil poffit ftabiliri . Eft deinde in periodorum vehementia diverfitas , alium gravem , mitiorem alium

(*a*) Aphorifm. de cognofc, & curand. Morb. §. 1089.

esse deprehendimus; dum nimirum ab uno alterove paroxysmo non simili mens vi & impetu afficitur, aegri potius, ut in iis, qui ex febre delirant, resipiscentes iterum, ad se nonnunquam redeunt. Quanquam vero de iis praecipue mentis vitiis in foro sermo est, quae diuturniora sunt, & pertinaciora, simul tamen ea quoque huc referimus, quae ut deliria febrilia, transitoria appellantur: siquidem in his mens eodem perturbetur modo, & delicta invito etiam animo perpetrari poterunt, quum temporis diuturnitas ad mutandam aegritudinis essentiam nil valeat.

§. III.

Caussae morborum mentis a) innatae.

Horum morborum caussae & multae sunt, & haud paucae obscurae ac pene imperscrutabiles, quarum itaque agendi potentiam ex effectu in corpore tantum diiudicare licet, quum praeter impetum in percipiendis ideis nihil in mente possit mutari. De singulis dicere vetat propositum, quaedam ex his multum inter se conveniunt. Possunt tamen nihilo minus ad duo genera referri, aliae nempe ex his innatae sunt & perpetuo corpori insunt; aliae vero introducuntur, quas acquisitas nominare liceat. Priorum

quaedam ad totum corpus ſpectant; quaedam ad partes eius tantum referri debent, iterumque vel exterius animadvertuntur & manifeſtae fiunt, vel interioribus latent partibus, non niſi diſſectione cadaveris demum illuſtrandae. Mirari enim non licet, ſi praeſumatur, male conformatum corpus, gibberoſum, varie inflexum, capitis praecipue forma inconſueta inſtructum, in nervorum imperio in mentem & corpus varietatem experiri poſſe & imbecillitatem mentis inde enaſci, immo, propter functiones vitales laeſas, nervei quoque fluidi, ad ſenſus adeo neceſſarii, indolem forte & facultatem depravari. Etſi multa ſunt exempla eorum, qui male conformato corpore rectiſſime ſapiunt & functionibus mentis omnibus praeſunt, itaque egregiam ſanitatem habere videntur, non pauciora tamen e contrario obveniunt, in quibus ex vitio corporis mentem quoque adfici conſpicimus. Id quod in miſeri hypochondriaci mali gradu auctiore ſaepe evenit, in quo eo corrupti ex internarum partium adfectione morboſa deſipere deprehenduntur. Nolumus quidem levioris momenti diſcrepantias omnes huc referre, bene ſcientes, maiores & graviores tolerari ſine noxa, ſingulas tamen in univerſa oeconomia animali adminiſtranda mutationes efficere, eo certius arbitramur, quo evidentius naturae auctorem ad normam

aliquam machinam corporis nostri adstrinxisse persuademur. Non quidem ex eo consequitur, levissima quaque secessione a consueto naturae tramite mentis actiones turbari, quum studiosior corporis humani dissectio in singulis propemodum hominibus diversitatem in minimis manifestet; numne vero plures earum varietatum, quae humorum circuitum, variorum organorum efficaciam, secretiones & vires attinent, noxam evidentiorem contrahant, in dubitationem venire nequit. Siquidem ipsi naturae rei respondeat, in liberrima corporis animalis succorum circulatione omnia inter se cohaerere, nec machinulam quidem sine impedimento totius sua sisti in actione debere. Referri autem ad succorum motum solidarum etiam partium concinna debet adaptatio, quae, si a nativitate est inconveniens, in vita protracta non emendatur. Multa specimina, qui in mente alienatorum cadaverum disquisitione summa cum laude & incredibili pene cum patientia, cuncta rimatus est GREDINGIUS (*a*), recenset, quorum haud pauca a nativitate protinus adfuisse deprehenduntur. Sin autem quarumcunque partium corporis nostri morbosam mutationem non nisi remotam perturbationis men-

(*a*) Conf. Adversar. Medico-Pract. Lips. Vol. II. P. I. II. III. IV. Vol. III. P. I.

tis caussam habere velimus ; quam tamen opinionem variorum morborum refellit contemplatio, ipsius sane encephali adfectiones, utique proximam efficient. Satis enim ex anatome constet, mollis cerebri cerebellique visceris structuram, in diversis, ex quibus patet, partibus semper eandem esse, ut ea propter, quicquid a cognita illa fabrica secedit, id non morbum tantum indicet, verum etiam evidentem mutatae functionis caussam contineat. Hinc, quoniam & medullosae & corticali substantiae certae datae sunt stationes, nulla earum alium, ac qui a natura adscriptus est, locum occupare debet; quod quidem non eo a nobis dictum est fine, ut cuiuscunque singularis partis encephali veram utilitatem noscere arbitremur, quod quidem nobis non arrogamus, sed, quod ex effectu demum singulae prominentiae, tuberculo, depressioni, circumductioni aut dispositioni partis peculiarem inesse vim ad virtutes, ab encephalo expectandas, intelligamus. Maxima prae animalibus homini data est encephali massa, quem etiam ratione & mentis facultatibus aliis excellere observamus, eam vero mollem & cohaerentem esse decet, impressionibus idearum, per nervos faciendis, accommodatam, irriguam tamen & exhalandis succis flexilem conservandam atque receptaculo cranii apto excipiendam. Quae qui-

dem eius aptitudo a cognita offium cranii forma & mirabili coniunctione dependet, qua in adultis non levium tantum externarum iniuriarum violentia avertitur, verum etiam internarum partium molesta & noxia compressio praecavetur. Quodsi nunc in singulis hisce partibus, vel figura, directio, compositio, materies, libertas vel tantillum patiatur, proxime morbose adfici corpus & cerebri actiones perturbari docet experientia. A suturis cranii deletis, quod non raro iunioribus iam contingit, pertinaces capitis dolores enasci, veteribus iam probabile visum est (*a*), quos, etsi ab aliis caussis proficiscantur, tanti tamen habemus, qui cogitandi facultatem mirum in modum labefactent (*b*). Interioris laminae vitreae ab aequali & polita superficie interna cranii leviuscula separatio, quae duram matrem tantum vellicet; osseae in hac meninge genitae excrescentiae, vel similes non magni momenti aberrationes, quibus utique parva tantum videtur iniuria fieri posse, mentis alienationem quandoque producunt, & stuporem, non nunquam vagum & transeuntem, mox perpetuum & fixum. Meminimus iunioris

(*a*) KUPERUS Anthropolog. Lib. I. cap. X. §. XV.
(*b*) MORGAGNI de cauf. & fedib. Morbor. Epist. LXII. art. 15.

hominis ; qui tenera sua aetate ex alto delapsus, humi prostratus, capite percussus, ad se rediens tarditatem ingenii retinuerat, de reliquo valebat, aestivo tamen & calido tempore, exagitatis humoribus de sensu ponderis in capite primo, deinde de stuporis sensu conquerebatur, post attonitus quasi & sensibus orbatus aliquot dies peragebat, in priorem iterum statum sensim restitutus. Multo maiores itaque mentis morbi enascuntur, si ipsa encephali substantia laedatur, quae nervorum principia suggerit. Varia encephalo quidem inflicta sunt vulnera, quae nullis molestis vel protinus non lethalibus symptomatibus stipabantur (a) immo in cadaveribus etiam quandoque status huius visceris praeternaturalis observatus est, sine eo, ut antea in mentis facultatibus labes fuerit detecta. Quae certe conditio opinioni nostrae, morbos encephali mentem adficere, videtur adversari: sed videtur tantum, quum lentae morborum caussae in aliis etiam partibus morbos producant, quorum effectus diu latent, hinc abesse iudicantur & subito in flammam quasi erumpentes nocent. Dissecuimus cadaver vetulae, quae praeter senii incommoda a morbis libera putabatur, haec au-

(a) Conf. I. I. ZIMMERMANN Diss. de irritabilitate. Goetting. 1751.

tem in magna versans hominum turba repente mortua concidit, & male tractata esse putabatur. Erat autem in toto eius corpore noxa vel laesio nullibi invenienda, sed ablato cranio, in hemisphaerio cerebri sinistro abscessus detegebatur, subito ruptus & effluens, apoplexiam inducens, cuius ante, ut qui eam norant, retulere, nullum extiterat signum. In memoriam etiam redit cum acerbo doloris sensu casus amici, qui saepius lipothymia, capitisque dolore excruciatus, tandem convulsus & delirans obiit, in cuius cerebro pariter abscessus generatus caussa morbi fontici fuit. Leviores adhuc encephali destructiones ad mentem perturbandam sufficere multa & sollicite collecta exempla GREDINGII (*a*) egregie declarant, quibus constat, in variis, mentem vitiantibus, morbis, quos inquirendi largissimam habebat opportunitatem, minimas mutationes, a statu sano differentes, graves melancholicorum maniacorumque adfectiones produxisse. Arenulae vel lapilli, ex his coalescentes, reperti in glandula pineali, ita docente GUNZIO (*b*) olim nostro, maniae caussam faciunt, quicquid contra moneant MORGAGNIUS (*c*)

(*a*) Advers. Vol. II. P. III. p. 487. seqq.
(*b*) In Prolus. qua lapillos glandulae pinealis in quinque mente alienatis proponit. Lips. 1753.
(*c*) Loc. cit. Epist. LXI.

& alii, quum dimidium fere numerum eius generis aegrorum glandulae pinealis arenulas vel calculos habuisse scribit GREDINGIUS (a). Parva itaque illa pars, corticalis maxime substantiae, filamentis medullaribus tantum cerebro adnexa, quam ob animae cogitantis, hic, ut voluit, residentis palatium nobilitaret CARTESIUS, tantam iam menti perturbationem conciliat, quantam vix crederemus. Nuperrime demum copia disquirendi encephali nobis facta est, hominis subinde furiosi, semper fatui & melancholici. Viscerum in hoc omnium integritas erat, robur deinde corporis, solidae partes firmae, nec in encephalo labes: plexum enim choroideum hydatidibus minoribus disseminatis instructum fuisse vix attinet dicere: densitas tantum totius substantiae inconsueta & pene durities aderat, quam stultitiae comitem esse MORGAGNIUS (b) & MECKELIUS (c) volunt, laxitatem magnam e contrario quoque invenit GREDINGIUS (d). Quod vero ex his adductis luculentum est, non totius encephali, sed unius alteriusve partis laesionem sufficere ad mentem male adficiendam,

(a) Loc. cit. p. 121. seq.
(b) Lib. cit. Epist. VIII. art. 8. sqq.
(c) Hist. de l'Acad. Roy. d. Scienc. à Berlin A. 1764. Observat. I. sq.
(d) Loc. cit. p. 536.

quanta cum sollicitudine hae indagandae sint caussae sponte apparet. Libuit autem has ad innatas referre, quod earum genesis abscondita vix videtur aliunde allata esse, & in encephalo nativa praesumatur dispositio.

§. IV.

β) *acquisitae.*

Sed aliae porro plures sunt caussae, quae mentis functiones molestas reddunt & hinc illam vitiant, quae tamen, ut pathologi vocant, non idiopathicum, sed sympathicum morbum faciunt. His nihilo tamen minus officina spirituum corrumpitur. In universum autem monemus, vix totius corporis partem aliquam futuram esse, cuius functio intercepta nervis vim non imprimat, mentemque postliminio quasi debilitet, quum levis admodum festuca, cuti infixa, dolore aucto mentem alienet, & catarrhalis insultus, levissimi ingenii sensibiliores, quos nominant, delirare faciat. Multum utique vitae genus conferre deprehendimus, aeque id, quod solidarum partium tenorem roborat & infirmat, ac quod fluidorum decentem mixtionem laedit. Sunt quidem illae adfectiones vix perpetuae, tolluntur quoque, repetitis tamen erroribus habitum,

bitum, si ita dicere fas est, acquirunt, nervos vero in genere saepe lacessitos, diu retinere inductam oscillandi facultatem aut characterem, ex multiplici constat morborum observatione. Quare etiamsi caussa eorum eventuum vel auferatur, vel in agendo intermittat, effectus tamen non tolluntur, sed novam semper morbum constituentes, novarum caussarum originem continent. Deinde in iis rebus omnibus, quas non naturales vocare solent Medici, quarumque usu egere non possumus, aeque ac singulis magna est in cerebri &, quae inde pendent, partium mutatione potentia, ea scilicet, quae nervos aut irritet aut obtundat, hinc mentem laedat. Factae quoque a teneris unguiculis in nervos, qui, ut recens imbuta testa odorem servant diu. impressiones aegerrime iterum delentur, quia tam graviter eos infestant, ut v. c. a potus spirituosi abusu perire ingenii vim videas & fatuum reddi, quem ordinata diaeta servasset diu mente vividum. Sic e contrario, quantam nervos obtundendi facultatem quies & somnus protractior exerceat, nec non omnis a motu corporis, olim consueto, abstinentia, luculenter patet iis, qui differentes hominum status inter se comparare solent, quibus mirum simul videtur, a pristino intellectus alacrioris robore ita deflectere peritos, ut sibi vix mente similes maneant.

Id, quod ex universae oeconomiae animalis contemplatione perspicitur, quae nimirum postulat, ut si integritas superesse debeat, nec in minima parte libertati humorum progredientium obstaculum offeratur. Idem autem non potest non ab omni impetu produci, aeque ac a motus retardante caussa, quod humores, praecipue animales, eam inter se cohaerendi & quiete se uniendi vim habere scimus, ut in deliquio animi, quod vocamus, etiam feliciter superato, aliqua requiratur circulationis vis ad praecavenda vel resolvenda humorum coagula. Spissitudinis denique humorum effectum etiam esse invenimus, ut secretiones & difficilius peragantur & torpor toti corpori inprimis subtilissimo nervorum fluido concilietur. Impetum etiam quemcunque, si gradum, quem natura praecipit, superaverit, infarctus & obstructiones parere, ex frequentibus clarum est exemplis. Etsi vero his caussis omnibus magna corporis functionibus adfertur imbecillitas, etsi earum continuatione in vita protracta seu senectute effectus sensim luculentiores fieri solent, citius tamen in mente eiusque actionibus aegritudo producitur, qua nimirum illa hebescit & suis quoque utendi facultatibus inepta redditur, diu strenueque in usum adhibita. Magna & indefessa studiorum contentio vires animi tam egregie evolvit & firmat, ut brevi tem-

poris ſpatio gradum perfectionis indipiſcatur, haec vero ad culmen delata protinus relabi & minui incipit, ſi intermiſſio non acceſſerit; ſiquidem nec nervi perpetuam ferunt tenſionem, nec idearum, in mente productarum, confuſio evitatur. Quare non incongrue nimium ſapientiae ſtudium ſtultitiam efficere putatur. Quae quum ita ſint, quantum ab adfectibus animus patiatur, ſponte perſpicitur. Etenim, dum illi in excitando vel deſiderio vel averſatione validi eſſe deprehenduntur, ſaepe ita mentem commovent, ut gratae vel ingratae ſenſationis violentiam perferre nequeat, ſed perturbetur. Immo, ſi diuturna vel perſeverans fuerit actio, ea, quae commotionem fecit, idea tam firmiter inhaeret, ut fixa reddatur & proximam melancholiae atque maniae cauſſam conſtituat. Idem nimirum, quod nervis accidere antea diximus, ut oſcillationes, frequenter ſuſceptae, prompte & cauſſa etiam abſente repetant, uti in epilepticis habitualibus, menti quoque contingere ſuſpicamur, ut aliqua nempe idea, praeter voluntatem ex morbo eius redeat frequentius, vel ab alia ſenſus percutiente, aliquantum ſuppreſſa, mox reſuſcitetur. Quis enim eſt, quin in ſe ipſo experiatur, moerorem vel triſtitiam non niſi cum tempore leniri atque deleri, ſed ſubinde redintegrari: ſolam amoris ideam, cui prudens adhuc

resistere non annititur, tam vehementer percellere animum, ut dementes reddat amantes, non uno exemplo patet. Quum vero talis idea ob egregiam mentis facultatem existere sola nequeat, licet reliquis validior esse videtur, ex comparatione quidem cum aliis iudicium inde existit, sed, quod minus rectae rationi convenit, & in iudicio falsitas est, motus ea propter corporis, qui sensationibus respondent, & inde dependentes actiones, rationi sanae quoque respondere nequeunt. Interim & hic emendationi locus non nunquam superest, ut idea vel tardius rariusque nec nisi ab alia excitata, redeat, vel plane extinguatur, praecipue si ea, quae ipsius origini favebat, caussa removeatur. Sic in morbis febribusque, quae deliriis stipantur, tam diu eadem furere videmus, quamdiu materia morbi nondum mitificata est, post coctionem autem, factaque crisi sapientiam restitui conspicimus. Ipsa morbi materia morbosum mentis statum generat, si nempe eadem rite non expulsa, aut ad viscera reducitur lentumque morbum procreat, aut nervis tribuitur, e cogitationum turbas excitat, immo stupiditatis perpetuae caussa fit. Ab exanthematibus enim retrocedentibus, tremor artuum & praeter alia multa quandoque insania, etiam habitualis, oritur. Tandem etiam perversa medendi methodus & neglecta morbo-

rum animadverſio in periculum ſimile coniicit ſua alienaque culpa aegrotos.

§. V.

Signa diagnoſtica morborum mentis.

Miſerrimus quidem aegrae mentis ſtatus facile forſitan dignoſcetur, quod nequit abſcondi vel clanculum haberi iſte a recta ratione ſeceſſus, quum per incongruas ſeſe nec ſcopo aptas actiones corporis manifeſtet. Nec diffiteor in maiore aut eminentiore morbi gradu, ut maniae atque furoris, ſigna eſſe tam aperta, ut terreant, inque fugam coniiciant meticuloſos ſpectatores, quum & validis munimentis coercere furentes deceat, atque ex hominum conſortio, ne noceant, removere. Sunt autem non gradus tantum leviores, quales ab initio morbi eſſe ſolent, ſed etiam alii, notabili interiecto temporis ſpatio diſtantes, ut morbi, eam ob cauſſam abſentis, indicia quoque habeantur nulla. Illa tum ex corporis contemplatione, tum ex mentis functionibus deſumuntur. Poſt corporis enim imbecillitatem demum ſequitur in mente vitium, quod quidem, num laeſioni, in corpore exiſtenti, proportionatum ſit, decernere non audemus, quoniam corporis adfectio ſaepe obſcura eſt,

suadet autem labes cerebri maior minorque in melancholicis animadversa, magnitudinem mali, in corpore haerentis, non parum ad vehementer perturbandam mentem tribuere. Sed, quod earum partium, quae encephalon componunt, singula, quantum ad mentis integritatem conducat, nondum exploratum est, & minimus, in corpore nostro lacessitus, nervus summas aliquando excitet molestias, dubitatio exoriri potest de veritate opinionis. Hanc tamen nostram nunc non facimus, quod ex cadaveribus demum noscamus, quid praecipue laesum sit, laesionis deinde modum eum magnitudine morbi conferre debeamus, licet facile largiamur, maiorem destructionem cum probabilitate effectus quoque maiores producere. Ast in vivis, ut dignoscamus sana mens sit nec ne, necesse est, quod quidem in foro ob multiplices caussas requiritur, praesertim, si de delicti commissi imputanda culpa aut dolo quaeritur. Haec vero, ex ipso corpore conquisita atque ex eius contemplatione enata, utique sunt ambigua. Evenit quidem, ut, si corporis mentisque vitium simul est, in externo corporis habitu morbi etiam significatio sit, vel ex aliis symptomatibus discernatur, ut in hypochondriasi, viscerum obstructionibus, tumore praeternaturali, non tamen ad omnes, mente aegrotantes id spectat. Sic melancholicos ex mota, quae accusa-

tur, atrae bilis colluvie; triſtes plerumque eſſe volunt, quorum nihilo ſecius quoſdam hilares & compoſitis moribus obſervamus, vegetoſque, colore & externa corporis forma nulla offerentes indicia tanti vagantis mali. Sunt qui corpus bene nutritum, toroſumque circumferunt, alii, qui exſucco aridoque corpore inveniuntur. In genere tamen, qui corpore reliquo bene valent, ſoloque encephalo laborant, illi externas quaſdam notas amentiae diſtinctas vix habent, & tunc, ſi paroxyſmi abſunt, mente minime aegrotare indicantur. Accidit hoc in illis magis, qui libero aere uti, corpus commode movere & officiis quibuſdam vacare poſſunt, ſi vero arctiore incluſi loco detinentur, tunc non raro corporis mutationes patiuntur, quales a carceribus venire videmus. Exinde vero, quod mens aegrotare praeſumitur, ad illius nunc actiones omni attendendum eſt ſollicitudine, quae vero ſeſe tum criteriis iis manifeſtant, quibus communicare aliis cogitata noſtra ſolemus, loquela nempe, tum actionibus externis corporis, quae illis convenienter inſtituuntur. Ubi autem omnis propemodum cogitandi facultas abolita eſt; vel eo oppugnata modo, ut clarior quaedam prae aliis idea in mente non exiſtat, ibi non raro taciturnitatem animadvertimus, ſicut in ſtupidis fatuiſque, quorum tamen in corpore motus ſu-

persunt, quorum exempla varia recenset GREDINGIUS (a) alii etiam nec corpus movere audent, rarioris exempii, a SAUVAGES (b) adducti. Qui deinde uni fixaeque ideae pertinaciter inhaerent, iis cogitandi vim denegare quidem non possumus, delirantium tamen in modum, non perverse ratiocinantur, ut cum SAUVAGES loquar, sed a principio falso, cui constanter inhaerent, consequentias suas recte saepius deducunt. Tanta nempe est unica paene ideae inhaesio, quae, ut in attentis ad rem aliquam perspicimus, reliquas iuxta positas supprimat & obscuret, atque efficiat, ut ob neglectum illarum actiones non respondeant conditionibus decenter. Hi itaque melancholici morbum mentis suae ex idea fixa declarant, nec non, etiamsi ab initio corpus a morbosa labe liberum sit, huic semina variorum morborum exinde inspergunt, quod fluidorum motus & solidorum tonus diu incolumis servari nequit. Accedente autem nunc morbo, vel ideis istis vividioribus redditis, in furorem agitantur, verique redduntur maniaci. Tunc novum additur discrimen, ut unica quidem & amica perpetuoque recurrens

(a) Advers. Med. Pract. Vol. II. P. I. p. 117. n. 32. sqq.
(b) Nosolog. method. Cl. VIII. p. 256. Ed. Amstd. 1768. 4.to.

idea saepe adhuc prodeat, sed vagante quasi per cerebrum mente alias, aut imaginatione productas, aut sensibus oblatas in consortium recipiat; de singulis autem perverse iudicetur, atque cum audacia vehementique corpus robore agitetur, insidiae struantur, obtinendo fini praefixo accommodatae. Tales autem maximopere cavendi sunt, quod ad patranda facinora proclives, ab animi pathemate facillime commoventur, ab illisque, gravissime adfecti, aegerrime detorquentur. Sunt vero distincta quoque signa in iis, quibus alii simul morbi accedunt, ut epilepsia, paralysis, quae ex illorum morborum naturis Medici depromunt. Haec iam adducta sufficiunt iis, quibus in foro, de morbis hisce iudicium ferre, requiritur, qua quidem in re utique adstipulamur ZACCHIAE (*a*).

§. VI.

Signa prognostica horum morborum.

Parum quidem ad Medicum forensem & Iudicem pertinere videtur praesagia de morbo, quum ipsis, non quid futurum est, sed, quod

(*a*) Quaest. Med. Legal. Lib. II. T. I. Quaest. III. p. 115.

praesens habetur, scire intersit, si nempe ad eum, quem iam consideramus, casum delictorum excusandorum respexerimus, in aliis licet actibus forensibus cognitionis necessitas maior ingruat. Mentis tamen vitia, quoad exitum, curatius quoque pensitanda sunt, quod in defensione rei ad perseverantiam morbi eiusque vicissitudines respiciendum est. Hinc duo consideranda sunt momenta, ut vel praevideamus, num, quem abiisse deprehendimus atque siluisse, iterum accedat, morbus, & deinde num tolli possit, utrum sit perpetuus futurus. Ea vero, quae pathologis alias anamnestica vocantur signa, etiam huc referimus, quod futurum paroxysmum indicant. Omnis itaque morbus mentis, qui per paroxysmos redeuntes redintegratur, quo frequentiores illi sunt, & quo citius sese excipiunt, eo maius periculum & durationem longiorem indicat, siquidem non simplicem impetum, sed habitum quasi & dispositionem iam adesse doceat. Quemadmodum enim in epilepticis ante insultum tensionis sensus, dolor aliquis obscurus, coloris in facie mutatio, vertigo, sensuum obnubilatio, similiaque percipiuntur symptomata, ita inconsuetae mutationes taciturni in loquacem, & contra, oculi antea mites & blandi, nunc torvi & fulgidi, iracundia subito exacerbanda, rerum olim suavium cita aversatio,

ideae fixae recens renovatio, eius cum firmitate persuasio, & alia eiusmodi inprimis, si olim eodem modo adfuerint, novum paroxysmum insaniae imminere testantur. Porro, quod pathematum animi incredibilem paene potentiam esse supra adseruerimus, etiam tale, mentem conquassans, si oblivione non teritur, sed cum aliqua constantia ceu praesens sistitur, metum iniicit fore, ut ideae fixae & perturbationi mentis gratam quasi largiatur opportunitatem. Sunt, qui eam morborum horum indolem esse credunt, quae possit a parentibus liberis quasi haereditate tradi, eoque specioso sane argumento utuntur, quod succorum labes diversi generis ad foetum traducantur, immo exemplis confirmare annituntur sententiam, quibus constat, melancholicos parentes, liberos habuisse, eodem morbo contaminatos. Utut autem experientiae fidem denegare non audemus, multa tamen sunt, quae haereditarios mentis morbos esse, ut adsumamus, vix permittunt, hinc momentum defensionis inde desumptum, vacillans reddunt. Praeter enim id, quod tales non raro morbi absque materie sint, nervorum potissimum adfectiones iudicari debent, ad quos per innumeras fere caussas mutationes transferuntur; cogitationis officinae adversae. Sunt autem ad confirmandam veritatem omnes eae caussae, quas plurimum conferre

ad morbos istius generis supra diximus, bene rimandae, ex quibus aliquae ita comparatae sunt, ut in liberis morbum, etiam, per traducem non datum, sed novum progerminare faciant. Eadem de contagio, quod inesse frustra praetenditur, iudicamus, licet in convulsivo illo annaemontanorum iuvenum morbo, a HOEPNERO (*a*) descripto, phantasiae corruptio ad alios delata esse videatur, quod autem a communi quadam caussa in pluribus eodem tempore existente & activa provenisse tandem constitit. Sic autem vehementer esset iis, qui in morodochiis aegrorum curam habent, timendum, quum a contagio liberi esse non possent, quale in aliis morbis epidemicis eos, qui morbis medentur, semper intactos non relinquit. Interim nec has conditiones hic adduxissemus, nisi inde quandoque argumenta repeti inveniremus, ex quibus remota quaedam defensio inquisiti desumatur, quam ex nunc adductis momentis inanem esse apparet. In variis morborum generibus, ut febribus acutis & inflammatoriis, deliria sunt, gravia non raro, omnem propemodum sanam rationem adimentia, quae vero persanato morbo

---

(*a*) CHRISTIAN HOEPNER *Acta privata, betreffend die Kranckheit zu St. Annenberg vom Jahr* 1713. *Leipzig* 1720. 4.to.

cessant. Haec, si applicare velis ad ea tempora, quibus aliquem in facinore versari deprehendas, idem esset, ac senum prudentem gravitatem pro iuvenilis nequitiae sequelis accipere. Si tamen de exitu vitiorum mentis certiora decernere voluerimus, repetenda sunt caussarum scrutinia, quarum vehementia morbum magnum facit, deinde effectus sunt attendendi. Mutationem non facile admittit structura corporis eiusque partium aliena, sive a natura sit, sive per caussas accedentes introducta; difficillime eradicantur ideae fixae. Si morbi intervalla, spem restitutionis affulgere permittant, ea sine ablatione caussae irrita est futura, forte certior in morbi principio, ac eius progressu.

§. VII.

Delictorum imputatio.

Fusiores fuimus in definiendis conditionibus, quae ad morborum mentis declarationem pertinent, eam praecipue ob rationem, quod haec disquisitio ad Medicum forensem spectat. In determinandis poenis, naturae delictorum competentibus, ad Iureconsultorum castra abeundum est, qui, si de morbi natura atque indole in

delinquente certiores facti fuerint per Medicorum disquisitiones, his, ceu firmioribus fundamentis suum superstruunt iudicium. Hi autem ex omnibus inter se collatis conditionibus veri praesentiam morbi eliciunt, quo tutus sit iudex, ne colore & simulatione morbi a poena liberetur nocens, vel damnetur insons. Multa, quae etiam defensores concernunt, colligit STOLTZIUS (*a*) a scopo tamen nostro non abest, ad delicti naturam respicere. Omne nimirum id, quod legibus divinis atque humanis contrarium, delictum vocatur: potest autem vel consulto ex malitia, vel per inscitiam & casu fortuito committi. Prius poena omnino dignum est, posterius, si scientia acquiri & casus evitari non potest, excusationem admittit. Excusatio autem demonstratione nititur, qua imputandum non esse delictum auctori evincitur, quippe in cuius arbitrio positum non erat, ut evitetur. Sed arbitrium sane illius non est, qui sua mente uti nequit, qui rerum caussas introspicere, effectus intelligere & diiudicare hinc de iis decernere non valet. Ea vero omnia in mente captos cadunt, qui, quum de delicto,

(*a*) FRID. LEBR. STOLTZE prax. crimin. spec. de eo, quod iustum est in defensione inquisiti ex capite imbecillitatis mentis & quaestione, quousque excuset. Lips. 1745. 4.

quatenus a legis voluntate abhorreat nec ne, iudicare nequeunt, culpae dolique expertes habendi sunt. Unicum momentum obstat, quod ex intervallo dementis, ut vocant, lucido desumitur, quo scilicet a delinquente postulantur, quae a recta ratione utente. Hoc tamen magna cum cura diiudicandum est, ex collectis nempe iis, quae supra tradidimus, signis, nec non ex conditionibus, quae cum delicto sunt. Maxime horrenda delicta homicidia sunt, quae si bene praemeditato animo, clam & adaptatis, ut respondeant fini, circumstantiis atrociter suscipiuntur, minime defendenda videbuntur, quod tunc dolus & culpa liquido accesserint, possunt tamen ea quoque a melancholicis cum iisdem perpetrari conditionibus, quod insidiarum eos studiosos inveniamus, fixae ideae satisfacturos, praesertim, si caussae in corpore haerent, quae rectae rationis usum obfuscant. In exemplo res magis illustrabitur, quare casum stupendum memoratuque dignissimum adducere liceat, eumque, ut doctrinae utilitas pateat, argumentis, in utramque partem explanare.

§. VIII.

Casus homicidii duplicati a maniaco.

Vir, qui litteris operam dederat, nec imperitus iudicabatur (*a*), hypochondriacis diu excruciatus insultibus in opinionem deveniebat eam, ac si per sympathiam, ut vocabat, seu, quod volebat ille, per dolos hominum sic torqueretur, ut cum tranquillitate mentis corporis integritas & nutritio vehementissime labefactaretur. Morbus hic corporis quotidie peior redditus, exacerbavit eum mentis sic, ut tandem, certissime persuasus aeger, suos, quo nomine matrem atque sororem indigitabat, horum tormentorum caussam esse, utramque securi caederet & lethalibus inductis plagis crudeliter trucidaret. In quo tamen consilio capiendo exequendoque dolum & consilium videbatur coniunxisse. Expectaverat enim tempore matutino matris ad ignem accendendum accessum, illiusque in hypocaustum ingredientis caput mox securi sic percussit, ut novemdecim plagas, singulasque lethales, tum huic tum pectori infligeret, ea, ut

(*a*) Idem ille est, cuius descriptionem uberiorem dedit GREDING. Adverf. Vol. II. P. III. p. 452.

ut post fassus est, intentione, quo moriretur, nec non eandem, in lectum vicinum prolabentem, exemit & sub lecto, quo absconderetur, recondit. Post, clausa & obturata ianua, eadem armatus securi, scalas ascendit, atque in camera dormientem adhuc sororem, quatuordecim vulneribus securis ope capiti & pectori applicatis, interficit, iterumque obserata hac camera, clave secum sumpto, quo ergastulo aut carceribus includatur, ex aedibus exit, nec aliam, quam supra excitatam delicti atrocissimi caussam praetexit, quae eum miserrimum reddiderit. Facta haec sunt & caussa ipsa acta coram Magistratu Mitweydensi ante hos decem & quod excurrit annos. Quum autem de statu mentis huius viri disceptaretur, & ordini Medico nostro disquirendus traderetur, delinquentem, rite ponderatis omnibus momentis, mente captum esse enunciabatur, & a poena capitis Iureconsultorum iudicio liberabatur. Quo vero de eius iustitia constet, argumenta in utramque partem, quae gravant & excusant, trutinanda sunt. Utrorumque igitur tyronum caussa normam singillatim recensere liceat, quantum quidem ex actorum testimoniis & natura morbi huc pertinet (*a*).

(*a*) Noluimus actorum folia excitare, quod certitudini rei fidem inde accessuram esse non arbitramur.

§. IX.

Argumenta reum gravantia, f. dubitandi.

Quum morbo molesto atque perpetuo se vehementer affligi adsereret homicida, dubitatio enascitur: quod eodem, quo facinus commiserat, die, partim Medicum in reo morbi melancholici vestigia non observasse, partim se ipsum recte valere reum adfirmare, idque testimoniis aliorum confirmari, simulque eum nullo animi adfectu irritatum fuisse pro certo proponi, nec incondita quaedam in carcere ab eo peragi, demonstretur. Deinde, quod ad quaestiones omnes, etiam eas, quae crudele eius delictum attinent, compte & apposite responderit, memoria & retinente & suggerente omnia, praecipue, quod utrumque hoc homicidium diu iam animo concepisse constanter adsereret. In actu mortifero porro plagas & vulnera copiosa infert, quo eo certius morti tradantur occisae, post eum, morientem matrem, e lecto iterum exemptam, studiose & lente in pavimentum deponit, sub lecto eam recondere intentus, ne protinus homicidium palam fiat, quo etiam consilio ianuam claudit & pessulum serae secum abripit, ne aliis introitus pateat, minus oblitus ad novam caedem faciendam securis, qua peracta, denuo ia-

nuam operit, clavem camerae pariter eximens. Etiamsi vero in his momentis haud levia iam sint, quae malitiam testentur, argumenta, accedunt tamen alia, quae rationis & sanae mentis forte documenta etiam post facinus susceptum monstrent. In ipsis enim carceribus varias ad fautores praeceptoresque latinas, gallicas, germanicasque misit litteras, iudicii plenas, & memoriae testes, aliasque ad sororem querelarum & obiurgationum, contra defunctam matrem sororemque refertissimas. Sui quoque defensionem conscribens ipse, quum, quae a Magistratu postulaverat, acta caussae non obtineret, irascens litteris in eum vehementer invexit, & amplum, undiquaque conquisitis in sui excusationem argumentis, libellum conscripsit. Tandem, dum mortis ipsi poena annunciatur, lacrymas profundit, melancholicis & furiosis, utpote durioris ingenii, inusitatas. Haec sane iudicabantur, non insaniam, sed malitiam & odium in occisas declarare, quod veri morbi criteria, post sublata, quae obstare videbantur impedimenta, quasi exsatiata cupidine, inveniuntur nulla.

§. X.

Argumenta excusantia s. decidendi.

Ast trutinanda sunt ea propter momenta, quae mentis morbum & gradum eius maniacum definiunt. Contra parentem enim & sororem reum nunquam adverso fuisse animo, suisque officiis explendis debita cum sollicitudine vacasse probarunt multa testimonia, hanc in rem collecta, quibus etiam iuniori iam aetate delinquentem valetudine infirma fuisse declaratur. Sex etiam annos ante delictum oculorum de dolore conquestus, officio, quo defungebatur, ultro se abdicavit, anxietatem praecordiorum, capitisque dolores sensim intensiores perpessus. Morbi hypochondriaci vero originem tunc factam fuisse ex eo etiam constat, quod ab eo tempore medico usus fuerit auxilio: quod vero iam corpori inhaerentem morbum minus conveniente excipiebat regimine, ea, quae ad melancholiam inerat dispositio, vires recipiens vehementior evasit. Symptomata experiebatur sequentia: corporis extenuationem eiusque colorem luridum, venarum tumorem, sensuum obnubilationem & peculiarem ingentis in capite frigoris sensum. Oculorum adfectio, lucis impatiens, eo adegit, ut paucissimo victu, se per quatuor continuo

menses in cista lignea, operculo instructa, detineret, in obscuram cellam subterraneam se reciperet, camerae obscuratae se includeret, nec non, quo minus sympathicis, quas imaginabatur, incantamentis excruciaretur, corpus incurvaret, vel spiritum diu retineret, sitis molestias patienter ferret, animumque magis conquassaret, succos hinc corrumperet & solidas partes debilitaret. Quae quum abunde insaniam prodant, accedit his furor pene immanis, in caedis crudelitate conspicuus, quantitate vulnerum notabilis, quum unum forte ad mortem suffecisset; contemptio fugae, quae libera fuisset, desiderium carceris, quibus singulis notae perversae rationis insunt. Porro, dum post peractam caedem domo exiret, nec de corpore tegendo quidem sollicitus erat, persuasus de recta & iusta actione, fixae nimirum ideae semper adhuc inhaerens, quum multos alios sympathia per matrem interfectos fuisse crederet, hinc utrumque homicidium moderamen inculpatae tutelae habendum esse perseveraret. Sic autem satis detestabili faciens voluntati, tandem se ab omni morbo liberum, sensuumque, praecipue visus usum redditum fuisse gloriabatur. Ex tot itaque gravibus momentis, quae corporis morbum mentem adfecisse turbasseque demonstrant, iure concludebatur, reum in ipso actu occidendi ex melan-

cholia in maniam conversa, cum alienatione mentis delictum peregisse. Hinc Collegium etiam Iureconsultorum reum a poena ordinaria eximendum ad perpetuam damnavit custodiam. Corporis morbum confirmavit denique eventus; in Waldheimense namque morodochium delatus, integre tamen non resipiscens, paullo post obiit, cuius in cadavere, quae notatu digna sunt, sequentia huc referam, communicata a peritissimo eius Medico GREDINGIO. Capitis forma singularis erat homini, ante mortem iam summe emaciato, frons angusta, tempora depressa, occiput amplum & extans. Sub cranio & inter duram matrem aqua ex albido fusca, in falce durae matris offescentiae occurrebant, substantia cerebri pene naturalis, ventriculi cerebri laterales & aquam & plexum choroideum tumidum, hydatidibus instructum, ventriculus tertius anterius aquam, eum distendentem, & glandula pinealis granulum sabuli continebant. Cerebellum vero praeter omnem consuetudinem molle, figura quoque ventriculi quarti plane singulari distinguebatur. Ille enim pollicem amplus, valvula sic dicta magna plane destituebatur, cuius loco planum a tuberculis quadrigeminis minoribus medullosum oblique retrorsum & deorsum protendebatur sic, ut orificium commune posterius sub illo demum in partem ventriculi quarti

poſteriorem, hinc liberrime patentem & aquam limpidam continentem aperiretur. Magna glandulae pituitariae mollities erat. In pectore cavum ſiniſtrum tum ſero flaveſcente, tum ſcirrhoſo pulmone plenum inveniebatur. Pericardium etiam ſimili aqua refertum, cor flaccidum & admodum parvum. In ventre inferiore ventriculus anguſtatus, coli pars deſcendens vehementer diſtenta, lien parvus molliſſimus cum ſimillimo erat hepate, cuius veſicula fellea alba, exiguam quantitatem fellis flavae, pulpae ſimilis continens, contracta, calculum fuſci coloris duorum ſcrupulorum ponderis alebat. Quae quidem morboſa, in corpore occurrentia momenta, non tantum innatas fuiſſe cauſſas oſtendunt, ſed etiam emendationes non admittentes, quaeque ſedem mentis eo conquaſſaverint modo, ut inſaniae ſummus gradus imputationem delicti fieri non poſſe, cum maxime declaret.

§. XI.

Conclusio.

Haec quidem ad morbos mentis in genere intelligendos ſufficere poterunt, atque ex exemplo adducto eluceſcere putamus, quaenam partim conditiones ſint, quibus morbi eiuſmodi ve-

ri, non ficti nec simulati praesentia evincitur, partim, quantum illae ad excusandum illegale facinus conferant. Etenim sic evitabitur non solum minus probandus eorum mos, qui in rei defensione occupati, malitiam depravatorum hominum armare student, dum insaniam iis adfingunt, verum etiam detegetur facile falsitas. Quum praeter ea praesentis vel imminentis amentiae indicia eruenda esse dixerimus, eos praecipue Medicos, qui morborum mentis indolem diiudicare debent, forenses, ad functiones corporis, ad inde dependentes actiones liberas, voluntarias, atque ad phaenomena, in vivo conspicua, denique, quae ad confirmandam sententiam pertinent, ad ea, quae in cadavere obveniunt, respicere iussimus. Ex quo id unicum consequitur, ut pateat, quam vehementer ex hac parte anatomes quoque studium necessarium eveniat, quippe quo solo phaenomena antea collecta, studiose perpensa, si ambigua videantur, redduntur certissima.

GEORG. MATH. GATTENHOF

PROF. MED. HEIDELBERG.

PROGRAMMA

DE

VESICAE URINARIAE IN GRAVIDITATE ET POST PARTUM ADFECTIONIBUS.

Heidelbergae 1775.

VEſica urinaria in foeminis quanquam multis vulgaribuſque e cauſſis etiam in ſtatu graviditatis variis morboſis adfectionibus obnoxia ſit, a calculo, haemorrhoidibus, variis ſpaſmorum cauſſis; unde tranquilla alias turbatur graviditas, ſaepeque infauſta etiam & funeſta redditur: uti graviſſimae in gravida dyſuriae meminit SWIETENIUS (*a*), ab abſceſſu in renibus facto cum copioſo urinae purulentae effluxu, atque foetus mortui quinquemeſtris excluſione: miram renis

(*a*) VAN SWIETEN Comm. T. IV. p. 477.

dextri consumptionem, & in amplissimum saccum dilatationem, demum funestam describit VAN DOEVEREN (*a*). Eas inprimis caussas, quae cum uteri gravidi statu conditioneque connexae sunt, considerandas paucisque lineis describendas sumpsi.

Atque ea quidem vesicae urinariae cum partibus in pelvi sitis, praesertimque cum utero connexio est; ut arterias venasque non tam ab hypogastricis & haemorrhoidalibus (*b*), quam nervos a plexu mesenterico atque a cruralibus (*c*) communes habeant, atque valida inprimis membrana a peritonaeo continuata, communi ubique munimento coerceantur; dum peritonaeum a margine ossium pubis flexum, vesicae superiorem partem ad acutum eius verticem adtingit investitque, retrorsum ad totam posteriorem eius faciem porrectum, atque inde ad uterum vaginamque fertur, ut medio quasi pelvis septo uterus totus atque aliqua vaginae pars recondatur; unde ad intestinum rectum, & ad latera eiusdem, ante os sacrum lumbosque in abdomen

---

(*a*) VAN DOEVEREN Obs. Acad. p. 17.
(*b*) HALLER not. ad Praelect. BOHER. §. 366. not. *q*.
(*c*) WINSLOW IV. p. 463.

adſcendit, partes omnes communi cellulosa tunica connectens firmansque (*a*).

Ab eo harum partium ſitu nexuque facile adparet, ab unius mutatione pati alteram, & utriusque incommoda communicari: atque uteri inprimis ſtatu, quo foetus concepti mole magis turgere incipit, ac volumine dilatari, preſſa veſica moleſtos urinae ſtimulos fert; queis vel crebrius excernatur, vel levi diaphragmatis motu aucto per niſus, nixus, tuſſim aliaſque cauſſas involuntarie profluat; dum arctioribus comprehenſa limitibus, veſica dilatari nequit ad maiorem lotii copiam, uti alias, continendam: creſcunt eae ſaepe moleſtiae, quo uterus magis dilatatus ſuperiorem pelvis partem replet, ipſumque ſenſim in abdomen, non niſi partium vicinarum preſſione, adſcendit; ut ipſo veſicae oſtio ad os pubis, ſub quo urethra fertur, compreſſio, menſe quarto quintoque moleſta ſaepe dyſuria, graviorique malo iſchuria naſcatur (*b*): eo preſſionis momento, quo uteri creſcit volumen, decreſcit veſicae capacitas, minor ſed & latior, immutata figura, redditur (*c*), ut fere triangularem ſaepe, lateſcente deorſum fundo,

(*a*) Conf. HALLER. l. c. not. *e*.
(*b*) SMELLIE *Hebammen-Kunſt* P. I. p. 150.
(*c*) PARSON *von der Harn-Blaſe* p. 187.

induat (*a*): qua ratione simul tumente abdomine, peritonaeum distentum, illud ex superiore vesicae parte ex uracho olim & arteriis umbilicalibus coalitis compositum ligamentum, versus umbilicum protensum, tendit cum effectu doloris, ibi saepe flagrantis, cui remedia emollientia opponit PARSON (*b*).

Sed ut caussas consideremus, quae unam, prae aliis gravidam his obnoxiam incommodis magnis saepe malis reddunt, situ inprimis vesicae retro os pubis, ultra quod non adscendit in adulto, atque ante uterum sic dispositio, ut obtusus vesicae vertex vaginae insideat, iam transversae, convexitas vero superior partim opponatur vaginae, partim longe altius in virginibus adscendat (*c*): adparet uteri gravidi statum his favere molestiis, dum repleto sensim magis pelvis cavo, partes hic dispositas premit, sed maxime, dum aut ovi foecundati radiculis, fun-

(*a*) GARENGEOT splanchnol. p. 75. HALLER l. c. §. 659. not. *f* figuram, quae in viris ovalis, vel imperfecte conica, inversa est, magis cylindricam, vel dolio transversim posito similem, ut superius etiam in duos veluti angulos acuminetur, describit MAUCHARD de hernia incarcerata, conf. PALLAS de variis meth. Lithotom. Vol. IV. HALL. Chirurg. p. 270.

(*b*) PARSON l. c. p. 556.

(*c*) HALLER l. c. §. 366. not. *b*.

di loco, proxime ad cervicem uteri infixis, firmataque ibi vel ad latus, vel ipſo in orificio placenta, tumorem gravidi uteri magis inferiorem efformat, veſicae oſtio ac urethrae magis inimicum, uti oſtendit SMELLIE (*a*); qua cauſſa toties dyſuria, iſchuria, ipſaque alvi obſtipatio, preſſione harum partium, ſaepe cum aliqua inflammatione iuncta, ac ſaevis doloribus naſcitur; quibus quidem incommodis iniecti clyſteres, venae ſectio atque catheteris etiam neceſſitas praeter fomenta balneaque emollientia ſuccurrunt; ſed & reſtant ſaepe contra remedia diutius; donec increſcens uteri moles, & in abdomen adſurgens, pelvis lateribus praecipue potiuſque ſulineatur. Aliae ſed mitiores cauſſae ſubſunt, dum inteſtinum rectum communi preſſione gravatum, adgeſtis turget foecibus, uterumque in has veſicae moleſtias impellit, quibus clyſteres leniaque laxantia repetita proſunt. Uteri obliquum ſitum huc refert SABATIER (*b*), quo placentae ad latus uteri adhaerentis pondere, vel propriae conformationis aut ligamentorum vitio (*c*) in latus declivior, veſicam adficit; uti

(*a*) SMELLIE p. 150-151.

(*b*) *Abhandlung der Königl. Academie der Chirurg. in Paris* T. I. p. 388.

(*c*) Uteri obliquum ſitum etiam in non gravidis, cauſſaſque refert SMELLIE p. 102-103. Item MORGAGNI Adverſar. IV.

& inde dysuriam ac tenesmum vesicae, alvum copiosam absque graviditate quidem, repetit RUYSCHIUS (a); quod & vitium adultiore graviditate emendatur: sed aberrantis uteri gravior aliquando caussa est, dum vel nimiae earum partium laxitatis vitio, vel antegresso uteri prolapsu aut integro, aut tantum incipiente (b), vel caussis externis, profundius in vaginam primis mensibus immergitur uterus; quo cum inversa vaginae parte vesicae ostium gravius offendit: lethalis ischuriae casum ex hac caussa describit REINIKE (c), quo mulier gravida, onus tergo impositum gerens, pede ex improviso vacillante, alterius cruris renisu vix gressum a lapsu sustinuerat, ischuria inde lethali demum occubuit: in cuius cadavere hoc uteri profundius in vaginam demersi vitium, vaginam superius corrugatam vel potius inversam detexit: similes uteri profundius demersi cum gravissimae ischuriae effectu observationes refert SMELLIE (d); quibus crebro clysterum, catheteris (e),

---

(a) RUYSCHIUS Obs. 98.
(b) VAN SWIETEN l. c. p. 478.
(c) REINIKE de uteri delapsu Vol. III. HALL. Chirurg. p. 587.
(d) SMELLIE l. c. P. II. p. 127-129.
(e) Casum ex LEVRETRO addit VAN SWIETEN l. c. quo nec catheter in vesicam deduci

& venae ſectionis uſu ſuccurrit, ſponteque etiam maiori forte adultioris uteri adſurgente mole, ſublatas, ſed & funeſtum ſecutae mortis caſum addit –.

Increſcente vero foetu dum dilatatus uterus maius ſpatium adfectat, ſenſimque in abdomine cavum ſibi cum variarum partium, inteſtinorum, vaſorumque etiam maiorum anguſtatione, variiſque inde ſaepe enatis incommodis parat; liberatur veſica urinaria, ceſſantque hactenus toleratae moleſtiae; niſi quidem uterus nimis verſus anteriora inclinatus, quod laxiore a repetito partu abdomine ſaepe fit, eo maxime prominulo ſupra oſſa pubis antrorſum delabatur; unde vel magis a tenſo adficitur peritonaeo veſica, comprimiturque incumbente mole, vel in angulum etiam cum collo ſuo cogitur (*a*), ut impediatur libera urinae excretio, atque etiam catheteris adplicatio reddatur difficillima: cui malo faſciam latam mollemque abdomini inducendo, idque nimis prominens levando, aut propriis tollendo manibus conſulunt (*b*); vel prono potius corpore veſicam exonerare tentent, iubet SWIE-

poterat, ſed reducto utero prolapſo, ſponte evacuaretur ingens urinae quantitas.

(*a*) VAN SWIETEN l. c. p. 478-571.

(*b*) Cartheuſer Patholog. P. XI. p. 351. SMELLIE l. c. p. 166.

TENIUS (*a*); quo situ fieret, ut pondus viscerum abdominis minus uteri fundum premeret.

Sed aliis ultimo graviditatis tempore haec potiora mala sunt; dum deorsum nitens foetus caput, repleta tota pelvi, vesicam maxime adficit; dum vel magnitudine rationem diametri pelvis excedit, vel perverso situ imminet: summa tunc partus tempore momenta sunt, summaque mala offert; ut distenta lotio vesica, neglecta eius evacuatione, foetui uterove maiorem traiectus difficultatem (*b*), perversum situm (*c*), aut summa sibimet incommoda, urgente nixu, iunctis utriusque doloris augmentis, conciliat; dum haerente in pelvi capite, maxime vesicae ostio ac sphinctere compresso, magna urinae copia dilatatur (*d*) cum ingenti fibrarum iniuria, inflammatione, atonia saepe relicta, aliisque summis malis; ut merito summas inter curas obstetricantium haec vesicae evacuatio vel spontanea vel catheteris ope reponatur (*e*); aut, si obti-

(*a*) VAN SWIETEN l. c. p. 484.
(*b*) Observat. partus eo vesicae nimis distentae vitio impossibilis describit MOLINARI nov. Act. n. 6. adpend. p. 388., cui nonnisi sectio Caesarea succurrere potuerit.
(*c*) WALBAUM p. 292. PARSON l. c. p. 183.
(*d*) Icone illustrat. SMELLIE Tab. XXI.
(*e*) VAN SWIETEN l. c. p. 528.

obtineri id vix aut difficillime queat, rumpi amnii aquas cito, quam fieri possit, iubet DENYSIUS (*a*), ut contractior uteri moles vicinae spatium vesicae se exonerandi faciat.

Variae vero hae vesicae mutationes, atque inducta vitia sunt: crassiorem & minimam adnotat LITTRE (*b*); qui ille urinae crebrioris stimulantisque casus est; alias enormiter dilatatam, ut octo pintas, molem 36. librarum cepisse visa sit (*c*); tantum distentam observavit SMELLIE (*d*), ut ad scrobiculum cordis usque porrecta, hydropem manifesta aquarum fluctuatione mentiretur: dilatationis huius cum fibrarum paralysi facile iunctae, is effectus est, ut compressa alicubi, alibi in cornua quasi & farcimina, disparatis fibrarum intervallis, dehiscat, variaque herniarum genera, vel per annulos abdominales, vel vaginam inter & intestinum rectum constituat, tumore in perinaeo (*e*), aut ipsa in vagina eminente, magnisque a partu incommodis relicto; qui compressus evacuata urina, eva-

(*a*) Conf. VAN SWIETEN l. c. p. 485.
(*b*) Act. A. R. Sc. A. 1708.
(*c*) HALLER l. c. §. 688. not. 1.
(*d*) SMELLIE P. XI. p. 129.
(*e*) VAN SWIETEN l. c. p. 129. - Exempla plura collegit Acad. Chirurg. Parisiensis T. II.

nescit, retenta urina; redit, saepeque ipsius vaginae prolapsum repraesentat (*a*). Alii a concitata in tunicis vesicae inflammatione, plus minus gravi, effectus sunt; quorsum forte ipsa observata saepe tunicarum crassities pertinet, quae fere perpetuus inflammationis effectus est. Alia a gangraena mala sunt lethalia - alia a suppuratione (*b*) & erosione chronicas calamitates inferunt; quorsum illa tunicae intimae separatio, atque summa inter tormenta facta cum lotio excretio pertinet, cuius observationem curationemque a BOERHAAVIO praestitam describit KOCH (*c*), simileque RUYSCHIUS exemplum exhibet, & icone illustrat (*d*). Alia a ruptura vesicae calamitas est, quam a nimia a collecto lotio distensione sensim subit; qua effusa in pelvim urina, partium inflammationes & gangraenas lethales excitat; exemplum ruptae prope urethram in latere dextro ad pollicis spatium vesicae refert PARSON (*e*): simi-

(*a*) Exempla habet LEVRET Act. Acad. Chirurg. T. III. p. 528. - BONNETUS Sepulc. T. III. p. 39. - HENCKEL Chirurg. *Sammlungen* T. VII. p. 5-6. HEUERMANN Chirurg *Bemerkung* T. I. p. 573.

(*b*) Magnam puris copiam adnotat SMELLIE T. III. p. 463.

(*c*) KOCH de adfectu in Libris & Praxi rarissimo Vol. IV. HALL. pract.

(*d*) RUYSCHIUS Adverſ. Anat. Dec. II-IX. Fig. I. T. II.

(*e*) PARSON l. c. p. 183.

lem in fundo rupturam lethalem describunt LONDINENSES (*a*); cum situs uteri retrorsum obliquatus, fundum vaginam inter & intestinum rectum reclinatum, os uteri versus ossa pubis conversum exhiberet, ut catheteris applicatio impossibilis redderetur: aliam addunt (*b*) similem mortis caussam, licet sub partus tardiore successu nulla retentae urinae signa animadversa fuerint, aut neglecta potius; immanis vesicae distensionis, ultra umbilicum porrectae observationem cum secuta demum ruptura describit VAN DOEVEREN (*c*); cum a pelvis angustia compressus ab utero ad ossa pubis meatus urinarius enormem lotii copiam colligi fecisset. Chronica mala, urinae incontinentiam cum dolore acerrimo, ardore, foetore, lotio perpetuo purulento a rupta vesica, rupturaeque labiis callo quodam iam obductis refert SWIETENIUS (*d*).

Sed & quae a partu aliquando supersunt huius excretionis vitia, facile ex dictis adparent: incrassata namque a diuturniore ab utero

(*a*) *Bemerkungen der Aerzte in Londen* P. IV. Art. 37.
(*b*) *Bemerkungen* cit. P. IV. Art. 4.
(*c*) VAN DOEVEREN Obs. Acad. C. VI.
(*d*) Ex Stalp. VAN DERWIEL l. c. p. 529.

pressione minusque capax ; perpetuos urinae paucae stimulos facilemque evacuationem infert, quae ad incontinentiam urinae referri possit ; aut ea in fibris vesicae relinquitur atonia, sphinctere bono ; ut a partu saepe dolor abdominis ad ossa pubis difficillimus supersit ; qui, re penitius examinata, ad retentionem urinae, quam excretam cum fluentibus amnii aquis credunt confunduntque, pertinet, observante SMELLIE (*a*) : cui catheter facile opitulatur. Aut sphincteris vesicae haec a partu vitia sunt, ut nimia vaginae, cui arcte commixtis utriusque fibris cohaeret, extensione per transitum foetus grandioris, aut eius incuneationem quacunque caussa, aut manuum & instrumentorum rudiorem operam, quandam a partu inflammationem concipiat ; cui quoque vitio, nisi neglectum fuerit, haud difficilis medela est. Verum ab iisdem caussis maius in urinae incontinentia malum relinquitur, dum a nimia vaginae distractione, fibris sphincteris vaginaeque contusis vexatisque, atonia ac quaedam inducitur paralysis ; qua per dies aliquot & septimanas hoc superesse vitium, adnotat RUYSCHIUS (*b*) ; quod saepe sponte corri-

---

(*a*) SMELLIE P. III. p. 468.
(*b*) RUYSCHIUS Obs. Anat. Chirurg. XXII.

gitur ; ſed maiori malo , dum inflammatio ibi nata , in ſuppurationem & abſceſſum tranſit , facilis , eo rupto , urinae via per vaginam paratur cum graviſſimis , per totam vitam relictis incommodis : obſervationem refert PALFIN , medelamque in conveniente peſſario parat (a).

(a) PALFIN Chirurg. Anat. P. II. p. 241. -- MAURICEAU Obſ. 577. -- *Bemerkungen der Aerzte in London* P. III. p. 90. -- HIRSCHFELD De incontinentia urinae. Argent. 1759.

D. IOH. CONR. MEYER

TRACTATIO

DE

CLYSMATIBUS.

Goettingae 1786.

§. I.

CLysmatis, clysteris, vel magis accommodato enematis nomine volo medicamentum fluidum per anum iniectum, usitatum iam, sit fides apud Auctores, Aegyptiorum Medicis Medicinae genus, a *Mnesitheo* iam proprio libello decantatum, ab *Erasistrato* multiplici varietate tractatum, a nonnullis adeo Africam interiorem inhabitantibus gentibus, nullum cum cultioribus Europae incolis commercium alentibus, frequenter adhibitum, a plurimis veri nominis Medicis maximopere commendatum, & tot egregiis effectibus celebre.

§. II.

Quamvis simplex videatur medicina, & magis adhuc olim visa fuerit eius efficacia, adeo ut, quasi nihil aliud perageret, ab eluendo intestina κλυσμα, κλυσματιον, κλυστηρ, κλυστηριον a κλυζω abluo sive eluo a Graecis lotio, a Latinis, lavement a Gallis denominata fuerit, multae tamen dantur varietates sive materiem spectes, quae iniicitur, sive eius copiam, sive applicandi modum, sive definitum denique effectum (a) & scopum, quo adhibetur.

§. III.

Ratione materiae alia sunt clysmata aërea; alia halituosa, alia fumosa, alia denique eaque usitatissima liquida.

§. IV.

Aërem inflari intestinis morbi sanandi ergo a quibusdam Africae gentibus, sunt qui perhibent, ut adeo ne huius quidem varietatis in-

(a) IO. MANIKATI SAPHRANI Diss. de Clysteribus eorumque effectibus. Hal. 1781. 4.

ventionem nobis nostroque aevo tribuere totam liceat; aërem fixum ex fermentante musto aut cerevisia, vel ex effervescente cum vitrioli acido creta emanantem ad cohibendam putredinem in putridis febribus & similibus alvi profluviis sive imminentem sive iam erumpentem haud absque effectu ano iniecisse testantur DOBSON (*a*), HEY (*b*), PRIESTLEY (*c*), WARREN (*d*), PERCIVAL (*e*), HULME (*f*), intestinorum tamen gangraenae debellandae imparem deprehendit LETTSOM (*g*) & si nimia adsit intestinorum debilitas, noxium SELLE (*h*), aliis (*i*) de

(*a*) A Medical Commentary on fixed air. Chester. 1779. 8. Ueberſetzt mit einigen Anmerkungen und Zusaetzen. Leipz. 1781. 8.

(*b*) Apud PRIESTLEYUM in experiments and observations on different kinds of air. Lond. 8. Vol. I. 1774. Appendix. II. ins Teutsche übersetzt. Leipz. 1777. 8.

(*c*) Ibid.

(*d*) Apud PRIESTLEYUM l. c. Vol. II. p. 375.

(*e*) Philosophical, Medical and experimental essays. Vol. II. p. 363.

(*f*) Nova tuta, facilisque methodus curandi calculum, scorbutum, podagram, &c. latine fecit INGENHOUZ. Lugd. Bat. 1778.

(*g*) Medic. memoir. of the general dispensary. London. 1774.

(*h*) Neue Beytraege zur Natur- und Arzneywissenschaft, Vol. I. p. 220.

(*i*) Ex quibus nominasse sufficiat THOUVENEL Memoire Chymique & Medicinal sur la

hac etiam putredinem arcendi vi dubitantibus, aliis certe haud maiorem ab ea ſperantibus, quam quae cuicunque alii acido debiliori etiam competit. Aërem vitalem ſive dephlogiſticatum, quamvis, ſi per pulmones corpus ingrediatur, ſaluberrimum, & in debellandis praeſertim aſphyxiis a nocentibus aëris generibus oriundis efficaciſſimum (*a*), hac de qua nunc ſermo eſt, via corpori intruſum, multum praeſtiturum eſſe, vix eſt quod ſperes (*b*).

§. V.

Aceti, potiſſimum illius, quod prophylactici titulo inſignitum in officinis proſtat, vaporem

---

nature, les uſages & les effets de l' air & des airs, des aliments & des medicaments, relativement, a l' économie animale à Paris 1780. 4. & C. I. NYBERG Diſſ. de aëris fixi uſu medico nuper celebrato. Ien. 1783.

(*a*) FONTANA Opuſcoli ſcientifici pag. 19. ACHARD Sammlung Phyſikaliſcher und Chymiſcher Abhandlungen. Berlin. 8. Vol. I. 1784. p. 63. BLECH Diſſ. de aëris dephlogiſticati uſu in Aſphyxia. Goett. 1784.

(*b*) Quemadmodum etiam aër inflammabilis in anum pulſus vix aliud quid effecit niſi quod irritabilitatem inteſtinorum acuere videretur. TRAMPEL apud CRELLIUM Chemiſche Annalen. 1784. Faſc. XI. p. 424.

ano iniectum, tum ad revocandos in vitam eos, qui a maligno ex carbonibus ardentibus expulſo aëre, vel ex alia etiam cauſſa animi deliquium patiuntur, tum in ſanandis febribus malignis putridis multum prodeſſe, teſtis eſt PIDERIT (*a*).

§. VI.

Fumos etiam variorum corporum ardentium multis ani inteſtinorumque malis iam dudum fuiſſe adhibitos, lippis & tonſoribus notum eſt; nollem equidem ſuffitus illos, qui nulla vi externa applicata proprio alvum petendi niſu, in cubantium vel ſedentium anum intromiſſi in inteſtinum rectum aſſurgunt, clyſmatis nomine appellare; iuſtiſſime tamen illud promeretur nomen tabaci ſive nicotianae fumus, noſtra aetate tantopere celebratus, & toties feliciſſimo cum ſucceſſu ano iniectus (*b*).

§. VII.

Tributas ille meruit laudes in pertinaciſſimis aeque ac periculoſiſſimis morbis; egregios

---

(*a*) Pharmacia rationalis denuo correcta & aucta Caſſell. 1782. p. 52.

(*b*) CH. GODOFR. FELLER Epiſt. de enematibus atque nova fumum tabaci inflandi methodo. Lipſ. 1787.

eius effectus in obstructionibus ; nulli alii remedio cedentibus, in colica spasmodica, in hernia incarcerata GAUBIUS (a), in posteriori morbo perinde ac in ileo HAENIUS (b), in vermibus LOESEKE (c), in submersis aqua praeter alios CULLEN (d), in strangulatis, praesertim infantibus recens natis, in hominibus aliis atque aliis vel aëris vel vaporis noxii generibus suffocatis VOGELIUS (e) & alii (f) viderunt,

(a) Adversarior. var. argum. L. I. Leid. 1771. fol. p. 46. 47. in herniis incarceratis commendat quoque GOURSAUD Memoir de l' Academ. Roy. de Chirurgie à Paris T. IV. 1768. & propria experientia ductus *Heisterus* Instit. Chirurgiae. Amstelaedami. 4. 1739. p. 1101.

(b) Ratio medendi in Nosocomio Practico. Vindob. 8. Vol. I. 1757. p. 151. 152.

(c) Materia Medica 5te Aufl. Berlin und Stettin. 1785. 8. p. 294.

(d) Lettre to Lord Cathcart concerning the recovery of persons drowned and seemingly dead. v. etiam Hist. de l' Academ. Roy. des Sciences à Paris ann. 1757. p. 32.

(e) Apud BALDINGER Neues Magazin für Aerzte ann. IV. Fasc. III. p. 198.

(f) E. g. BUCQUET Memoire sur la maniere dont les animaux sont affectés par differens fluides aëriformes mephitiques, & sur les moyens de remedier aux effets de ces fluides. Paris 1778. 8. PORTAL Bericht über die Mephitischen Dämpfe und vorzüglich über die Würkung des Kohlendampfs auf den menschlichen Köper, nebst einer kurzen Nachricht von den wirksamsten

ut ideo fummi Magiftratus falutem publicam curae cordique habentes, inter auxilia, quibus iis, qui five aqua, five fumo, five noxiis halitibus enecti videntur, fuccurri poffit, id remedii genus fuis Medicis hodienum ferio iniunxerint & inftrumentum, quod femper praefens fit, cuius ope applicari tuto, celeriter, fat magna copia poffit, confici publicis fumptibus curaverint (*a*).

§. VIII.

Simplex utique eft inftrumentum, & quum plurimi ifti cafus fubitaneam pofcant opem, nifi aliud fcopo magis adaptatum ad manum fuerit, adhibendum, confueta fiftula argillacea, fumo tabaci hauriendo inferviens, cuius capitulo ni-

Mitteln, Erftikte wieder zum Leben zu bringen. nach der fünften franz. Aufgabe überfetzt, nebft einem Anhang von Rettung ertrunkener Perfonen und todgebohren fcheinender Körper, Frft. 1778. SCHERFF Anzeigen der Rettungfmittel bey Leblofen oder in plötzliche Lebenfgefahr gerathenen. Altona. 1780. 8.

(*a*) SCHERFF l. c. & de lege Magiftratus Argentoratenfis, Archiv. der Medicinifchen Policey &c. T. I. p. 97. FRANK Medicinifche Policey p. 656. certe pro Obftetricibus publica lege conftitutis.

cotianae foliis fumantibus repleto, & fiſtula ipſa ſine ſuo ano infixa fumus inflatur: ſed me etiam non monente patet, vix, niſi ſumma neceſſitas & melioris inſtrumenti inopia urgeat, eligendum eſſe, quum & nimis parva copia, & vix ulla cum vi fumus ſic canalem intret, & ille, qui munus fumum ore applicato inflandi in ſe ſuſcepit, nimis cito fatigetur (*a*).

§. IX.

Commendavit ideo ſuo iam tempore STISSERUS (*b*), eiuſmodi inſtrumentum huic ſcopo magis accommodatum; excogitavit aliud SCHAEFFER (*c*); deſcripſit aliud HAENIUS (*d*); aliud & deſcripſere & delineari curaverunt VAN NOKKEN (*e*) & GAUBIUS (*f*); aliud

(*a*) Paullo commodiorem ex duabus fiſtulis compoſitum apparatum commemorat FRANKIUS l. c. Vol. II. p. 183. Herzogl Braunſchw Verordnung die Rettung der Ertrunknen oder ſonſt plötzlich verunglükten todſcheinenden Perſonen betreffend. Braunſchw. 1780.

(*b*) Epiſt. de machinis fumiductoriis curioſis. Hamb. 1686. depicta extat apud HEISTERUM l. c. T. XXXIV. Fig. XIII.

(*c*) Gebrauch und Nutzen des Tabakrauchskliſtiers. Regensb. 1757.

(*d*) L. c.

(*e*) Verhandelingen uitgegeeven door de hollandſche maatſcappye der Weetenſchappen te Haarlem. P. VIII. Faſcic. 2. 1765. n. 8. p. 252.

(*f*) L. c. T. Fig. I--VII.

GARDANE (*a*), aliud invenit KAEMPFIUS a ZIMMERMANNO (*b*) eximie descriptum, & ideo praesertim reliquis plurimis praecellens, quod in eo cautum sit, ne fumus nimis fervidus intestini tunicas comburat. Id genus instrumenta in impellendis etiam aliis fluidis elasticis (§§. IV. V.) adhiberi possunt, nisi quod in aëris speciebus iniiciendis cautela postremo memorata sit superflua, in aceti v. g. vaporibus noxia, quoniam metus est, ne plurima vaporum pars frigore in acetum redeat.

§. X.

Monendi tamen sunt Medici, ne in omnibus & singulis casibus hominum ab aëre vel vapore noxio suffocatorum praepropere fumum illum adhibeant; ita v. g. in hominibus vapore narcotico in mortis periculum redactis manifesto oleum igni adfundent, neque praetermittendum consilium a VOGELIO (*c*) datum, sordes induratas intestino recto impactas, & transitum fumi impedituras prius esse removendas, neque

---

(*a*) Sur les Asphyxies avec la description d' une nouvelle boëte fumigatoire portative. Paris 1777.
(*b*) In BALDINGERI Neuen Mag. für Aerzte Vol. I. Fasc. I.
(*c*) L. c.

fumum tabaci nimio aut continuo impulsu, donec tandem vitae manifesta redeant signa, sed, si tardius appareant, interrupte in intestina mittendum, & si suum exseruerit effectum fumans illud enema, clysmate emolliente eluenda intestina esse (*a*). Huic soli fidendum, in eo solo acquiescendum esse in gravioribus istiusmodi casibus, quis est, qui contendat?

§. XI.

Accedo nunc ad vulgatiora illa clysmata, quae quippe liquida forma iniiciuntur (*b*), & instrumenti quidem ope, cuius multiplices varietates, eam etiam, qua aeger sibi ipsi applicare enema potest, descripsit, & partim etiam delineavit HEISTERUS (*c*); huius scilicet instrumenti, quod plerumque fistula est, alter finis oleo vel butyro illitus, ano aegri in dextro latere cubantis & quiescentis immergitur, alteri adplicatur sive vesica sive syringa materie iniicienda repleta; illa, dum materia iniici debet, pro aegri aetate, & maiore minoreve materiae

(*a*) V. FRANKIUM l. c. II. p. 184.
(*b*) De his inter recentiores fusius egit I. I. GIRARD Diss. de enematibus intestinalibus. Argentor. 1762. 4.
(*c*) L. c. p. 1097. T. XXXIV. Fig. 12.

iniiciendae copia nunc maior, nunc minor leviter comprimitur, haec vel embolo extracto & iterum absque impetu intropulso laticem per fistulam in intestina pellit, quo facto aeger in sinistro latere recubare debet (*a*).

§. XII.

Multum etiam interest, quo caloris gradu gaudeat liquor intromittendus; fervidum iniici, dissuadet praeter alia nimia tunicae villosae intestinorum etiam sanorum sensibilitas, insignem hunc aestum calore cui assueta est, toties maiorem, certissime non impune ferens (*b*); in plurimis casibus, quibus enemata conducunt, praestat tepor, sive is caloris gradus, quem humanum corpus consueto naturae cursu fovet, manus immersa sine molestia & dolore perferre po-

(*a*) Plura tum de fabrica instrumenti, tum de optimo applicandi modo v. apud I. KAEMPF Abhandlung von einer neuen methode, die hartnäkigsten Krankheiten, die ihren Sitz im Unterleibe haben, besonders die Hypochondrie, sicher und gründlich zu heilen. Dessau und Leipz. 1784. 8. p. 267.

(*b*) Ea negligentia Mathematicum PEIRESC intestini recti sphacelum & mortem sibi contraxisse habet I. KAEMPF. l. c. p. 266.

poteſt ; adeo ut ipſe HEISTERUS (*a*) tepidos tantummodo liquores iniici ſuadeat & ex BARTHOLINO alleget exemplum mortis iniectionem enematis frigidi ſecutae.

§. XIII.

Tametſi negare nolim, dari caſus, in quibus incautus clyſterum frigidorum uſus noxam, imo mortem ipſam inferre poſſit, & circumſpectum requirere Medicum (*b*), ſunt tamen, teſte multiplici noſtrae aetatis experientia, alii, in quibus egregie proſunt; frigidam enim aquam, commune horum medicamentorum vehiculum, ipſo ſuo frigore extrinſecus adhibitam, eximie in multis morbis conducere praeter alios docuit DAUTER (*c*); & niſi alia obſtent, quae uſum eius vetant, aquam frigidam ano iniectam in alvi fluxibus a debilitate natis, & in prolapſu ani efficacem eſſe, HAHNIUS (*d*) & HEYDEN-

(*a*) L. c. p. 1099.
(*b*) V. etiam de hoc loco omnium I. KAEMPF. l. c. p. 265. ſqq.
(*c*) Diſſ. de uſu aquae frigidae topico externo. Goetting. 1778.
(*d*) Unterricht von der Kraft und Wirkung des kalten Waſſers. Breslau und Leipz. 1755. p. 120.

REICH (*a*) referunt : ex analogia etiam coniicere licet, aquam frigidam, quae aliis cavis corporis iniecta, sanguinem & ichorem ex iis profluentem sistit, in intestinorum crassorum similibus malis eodem cum effectu iniici ano posse: neque ullum, mihi quidem, superest dubium, quin illa sive ex aceto meraco (*b*), sive aqua temperato (*c*), sive ex aliis parata enemata aestus temperandi, putredinis arcendae aut refraenandae, intestinorum crassorum roborandorum ergo in anum protruduntur, felicius longe suum sortiantur effectum, si frigida iniiciantur: docuit etiam KAEMPFIUM (*d*) aliosque longa experientia, in aegris quibus nervi debiles, digestionis officina relaxata, universus intestinorum canalis infirmatus sit, in hystericis, diuturnis alvi indurationibus, tympanitide incipiente ipsisque viscerum abdominalium infarctibus, siquidem ex eo, quod clysmatis usum sequantur tenesmus, dolor lancinans, inflatio, aliaque hactenus inconsueta, & periodica inprimis mala, mobiles esse

(*a*) Diss. de clysmatum frigidorum in ani procidentia usu. Francof. ad Viadr. 1780.
(*b*) Quod eo fine recentius commendavit NICOLAI Prog. I-III. de virtute & usu clysterum ex aceto. Ien. 1783.
(*c*) Ita PIDERIT l. c. p. 58.
(*d*) L. c. p. 264. 265.

infarctus coniicere liceat, frigidiora paullo clysmata mirifice prodesse.

§. XIV.

Ea tamen etiam clysmata, quae tepida iniicere praestat, multum adhuc inter se discrepant, tum copia, qua iniiciuntur, tum compositione, tum modo, quo adplicantur, tum effectu.

§. XV.

Generatim memorandum est, dosin unius clysmatis adulto destinati plerumque intra octo, duodecim, vel octodecim subsistere uncias, nisi aut gravidae mulieri, aut parvulo, anheloso, flatulento, vel hydropico, vel denique sensibiliori homini (a) exhibeatur, qui omnes parcius requirunt praebium, tanto frequentius, si opus sit iterandum; puero sufficere uncias sex ad septem, infanti tres ad quatuor, infanti recens nato duas, ut tamen omnino speciales dentur casus, in quibus ultro citroque deflectere fas sit.

§. XVI.

Quo simplicior & haec medicina, eo melior; ita aqua, sive frigida, sive tepida, ace-

(a) KAEMPF. l. c. p. 266.

tum, lac, vinum; ex carnibus cocta iuscula; oleum e. g. optime inserviunt clysmati; finis tamen, quo adplicantur, frequentius additamenta varia postulat; caveat tamen Medicus, ne additamenta iusto pretiosiora eligat; tum quod medicinae, hac forma longe maiore dosi porrigendae, pretium sine necessitate augent, tum quod rarius maiore pollent vi, tum quod Pharmacopoeo parum religioso, quia tutum se ab examine reputat, ansam praebent, alias viliores aut corruptas etiam supponendi merces; quapropter etiam, nisi probitas Pharmacopoei iam constet, quae in officinis iam paratae pro enematibus prostant, species vitandae.

§. XVII.

Curandum etiam, ut clysmatis materia satis fluida sit, neque aut tenacitate sua fistulae parietibus adhaereat, aut spissitudine sua eam obturet; hinc in siccis spissisque addendis tenendus est modus; illorum, nisi aqua solvantur, drachma circiter adiicienda, nunquam ultra drachmas tres, siquidem fluidi mensura uncias decem aequet: mellis aut syrupi, eo quod aqua solvi possunt, aequalis admisceri fluido potest copia; balsamorum autem nativorum v. g. terebinthinae vix vicesima pars, vel ad summum

tres quadragesimae partes, & ut aequabilius per reliquam clysmatis massam diffundantur, prius ovorum vitello subigenda sunt: visceralia uti quidem appellant, enemata; paullo spissiora parari iubet KAEMPF (*a*).

§. XVIII.

Notandum porro, plurima medicamenta, si hac quidem via corpus ingrediantur largiori manu esse adhibenda, quam si per os transeant, & deglutiantur; praesertim id valet de iis medicinis, quarum vis non in intestinis ipsis subsistit, aut certe subsistere debebat, quales sunt irritantes & narcoticae; nimia tamen dosis hic etiam nocere summopere potest; ab opii quatuor granis aegro hac via exhibitis aeterno somno obrutum vidit GAUBIUS (*b*).

§. XIX.

Purgantia quoque maiore longe, duplo vel adeo triplo maiore copia praescribenda sunt, si

(*a*) L. c. p. 266.
(*b*) De methodo concinandi formulas medicamentorum. Lugd. Bat. 1739. p. 374.

haec via placeat, quam si per os assumantur; prouti nunc mitiora, nunc violentiora aut acriora postulat morbi indoles; ita v. g. salium mediorum sufficere aliquando potest drachma una vel duae, unciis decem liquoris solutae; sed si acriori opus sit stimulo uncia una vel unciae duae sumi possunt.

§. XX.

Determinat etiam dosin clysmatis scopus, quo iniiciuntur; si attingi ille possit, quamvis per breve temporis spatium in intestinis haereat clysma, una eaque tanto largior sufficit dosis; quod si vero ad assequendum illum opus sit, ut clysma diutius in corpore remaneat, si e. g. nutrire, remotas etiam partes stimulare, obstructiones in visceribus vicinis reserare ope clysmatis velis, parca dosis, eaque tanto crebrius iterata praestat.

§. XXI.

Multiplex autem est, prouti iam ex ante dictis patet, clysmatum effectus, multiplex ergo finis, quo exhiberi cum fructu possunt; agunt enim primo in intestina, quae, dum corpus intrant, ingrediuntur; agunt in viscera in-

teſtinis vicina ; agunt in partes remotas , agunt in nervos ; agunt denique , dum per bibula in inteſtinorum tunica villoſa patula vaſorum oſcula reſorbeatur , tum in ſyſtema vaſorum lymphaticorum , tum in omne corpus.

§. XXII.

Prius & maxime palpabilis clyſterum effectus eſt ille , quem in inteſtina craſſa ipſa edunt; his tamen iterum multiplici valde modo aut prodeſſe , aut intempeſtive vel incaute applicata nocere poſſunt , generatim non adhibenda , quando inteſtini recti ultimus finis aut orificium inflammatum , ſordibus induratis obduratum , aut tumoribus haemorrhoidalibus obſeſſum eſt , antequam haec obſtacula aptis remediis ſublata ſunt.

§. XXIII.

Eluunt igitur primo inteſtina craſſa , ſive ſi mavis inteſtinum craſſum , & a ſordibus inhaerentibus mundant , & ab eo effectu (§. II.) denominata , cui utique aqua tepida meraca ſufficeret , niſi aliquando aut ſolito duriores eſſent aut ſolito tenacius inteſtini parietibus adhaereſcerent ; hinc emolliendi cauſſa ut plurimum

adiicitur oleum quoddam unguinosum (*a*), vel mucilago (*b*), vel sumitur loco aquae lac (*c*) aut serum lactis (*d*); tenacitatis minuendae gratia adiicitur sal (*e*), saccharum (*f*) aut sapo (*g*).

§. XXIV.

Non autem sordibus modo evacuandis, sed peregrinis etiam v. g. venenis, siquidem iam ad eam canalis cibarii partem pervenerint, quem enemata attingunt & vermibus ex intestinis & per eorum orificium ex universo corpore expellendis egregie nonnunquam inserviunt clysmata, priori fine corporibus veneni vim sua ipsorum indole domantibus, posteriori vermifugis v. g.

(*a*) Vulgo oleum olivarum ita v. g. in enemate communi the new dispensator. second. edit. Lond. 1765. 8. p. 622. in enemate de amylo Pharmacop. pauperum in usum Nosocomii Regii Edinburgensis 1758. 8. p. 21.

(*b*) Ita in modo memorato enemate mucilago amyli, in enemate supra dicto communi mucilago herbae malvae & semini lini inhaerens.

(*c*) Ita in enemate domestico Pharmacop. pauper. p. 22.

(*d*) Ita in enemate illo, quod BOERHAAVE Mater. Medic. p. 225. infantibus recens natis iniiciendum suadet.

(*e*) Ita in enemate communi.

(*f*) Ita in enemate domestico.

(*g*) Ita in enemate pro infante recens nato.

vitriolo ferri (*a*), valerianae radice (*a**), assa foetida (*a***) acuenda.

§. XXV.

Neque minor est vis clysmatum, huic scopo magis accommodatorum, in ulceribus intestini crassi, saniem ex iis profluentem, ex corpore eliminando, eoque ipso quo minus diutius morando in intestino magis noceat, atque ulcera ulterius serpant, impediendo.

§. XXVI.

Ad mitigandam porro nimiam sordium acrimoniam, & defendendam contra earum vim irritantem & rodentem sensibilem intestinorum fabricam muco suo muniente in iis casibus non raro denudatam, multum sane faciunt enemata illa sive singulari acrimoniae speciei opposita, sive generatim obvolventia ex lacte, oleosis, mucilaginosis conflata, qualia v. g. enema commune & domesticum; aut ex lini semine gelatina,

(*a*) Ita in eo clysmate, quod BOERHAAVE l. m. c. p. 235. contra vermes commendavit.
(*a**) KAEMPF. l. c. p. 177. 257.
(*a***) KAEMPF. l. c. p. 177. 258.

cortice simarubae, altheae radice, atque liquiritiae, floribus verbasci, suco dauci carotae &c. (*a*).

§. XXVII.

Cum nimia etiam putredine nonnunquam noxam inferant feces in intestino crasso haerentes, & fomitem quasi exhibeant putredinis universo corpori imminentis & per omnem humorum massam diffusae, clysmata ex remediis putredini adversis v. g. cortice peruviano, instillatis aliquot acidi vitriolici guttis, ex aceto & aliis eiusmodi parata, teste multorum Medicorum experientia v. g. in dysenteriis, febribus biliosis putridis &c. eximiam opem ferunt.

§. XXVIII.

Quum caussa pertinacis alvi obstructionis, aliorumque tam intestina ipsa, quam alia inprimis vicina viscera prementium malorum in fecibus induratis aliquando lateat, sordibus transituris transitum denegantibus, duritie sua etiam nocentibus, enemata emollientia (*b*) optimum

---

(*a*) V. I. KAEMPF. l. c. p. 242. 245.

(*b*) Qualia v. g. commune, domesticum aut etiam illud, quod Pharmac. paup. Edinb. p. 22. eo nomine proprio venit, aut Pharm. rationalis l. c. p. 293.

non raro praestant effectum, certiorem profecto & meliorem, quam si Medicus verae caussae ignarus acrioribus stimulis alvum tentat: is casus saepius etiam in infantibus recens natis obtingit, quorum intestina piceo quasi meconio infarcta sunt; hinc FRANKIUS (b*) ipsis Obstetricibus iniungit, ut instrumentum clysmaticum secum portent.

§. XXIX.

Sed in tunicas etiam intestinorum agunt impulsa in anum enemata; quo tamen scopo praemittendum alteri semper erit enema intestinum a sordibus impactis liberans: exsiccatas nimium & rigidas, e. g. a diuturno nimis purgantium, praecipue salinorum usu, lubricant & relaxant, eoque effectu largum multorum malorum fontem obserant enemata tepida vel mere aquosa vel lacte, mucilaginibus, aliis eiusdem surfuris temperata, qualia iam dicta sunt.

§. XXX.

Si autem nimis relaxata sint intestina, adeoque robore restituendo egeant, quod in diutur-

(b*) Medicinische Policey. 2te Aufl. Vol. I. p. 656.

nis alvi profluviis, lienteria potiſſimum, in & poſt alios morbos aliquando contingit, egregie inſerviunt enemata ex aqua frigida meraca, aut ex aqua calcis cortici caſcarillae aut peruviano una cum caſſia lignea & furfuribus toſtis infuſa (*b***) aut ex aqua calcis, viceſima circiter ſucci catechu parte temperata, qualis enematis adſtringentis nomine venit apud Edinburgenſes (*a*), parata: eadem quoque proſunt in vulneribus atque ulceribus inteſtinorum conſolidandis, ut tamen eo fine etiam balſamica, v. g. balſamum a Locatello nuncupatum, ovi vitello ſolutum, circiter ad viceſimam partem adiici poſſit (*b*). Neque dubium eſt, quin oſcula vaſorum in inteſtina hiantia conſtringendo, nimis relaxata roborando, in alvi profluviis ſive ſeroſis, ſive ſanguineis ſuum praeſtare uſum queant.

§. XXXI.

Si contractilitas inteſtinorum adeo imminuta eſt, ut conſueta eaque leniora clyſmata alvum non tentent, fortior utique addendus eſt

---

(*b***) KAEMPF. l. c. p. 245.
(*a*) Pharmacop. paup. p. 21.
(*b*) Quemadmodum in enemate adſtringente balſamico Pharmacop. paup. Edinb. p. 21.

ſtimulus; adiiciendum ſcilicet purgans aliquod medicamentum, quale v. g. ſyrupus de rhamno cathartico (*a*), aut aloe (*b*). Sin autem pituita vitrea tenaciſſima adſit, reſolventia e. g. taraxacum, marrubium, arnica, fel tauri &c. admiſcenda ſunt clyſmatibus (*b**).

§. XXXII.

Si ſpaſmis conſtringitur & turbatur, aut vehementi nimium dolore afficitur inteſtinum craſſum, medicamenta ſpaſmos & dolores lenientia hac via & forma ſuppeditata, multum proſunt; alias ei ſcopo ſufficiunt emollientia atque involventia (*b***) vel leniora ſaltim antiſpaſmodica, quale v. g. flores chamomillae (*c*) exhibent; alias fortioribus opus eſt, e. g. opio vel laudano liquido (*d*), aſſa foeti-

---

(*a*) In enemate purgante Pharmacop. paup. p. 23.

(*b*) E. g. in enemate anticolico, Edinb. l. m. c. p. 22.

(*b**) KAEMPF. l. c. p. 245. 256.

(*b***) Caute tamen etiam cum his in colica mercandum eſſe, monet STOCK Prol. de clyſterum emollientium uſu in colica ſuſpecto. Ien. 1757. 4.

(*c*) Quae ideo etiam enema commune officinarum ingrediuntur.

(*d*) Quod ideo ad guttas quadraginta ad unc. quatuor & dimid. vel ſex vehiculi enematis de amylo

da (*a*), capitibus papaveris, mucilagine ex seminibus hyoscyami extracta, valerianae praesertim radice & aurantiorum foliis (*b*).

§. XXXIII.

In inflammatione denique intestini crassi clysmata, quorum mixtione medicamenta discutientia ingrediuntur, in gangraena eiusdem & sphacelo clysmata, ex antisepticis conflata (§. XXVII.) opem latura esse, vix ullum superest dubium, quamvis ut plurimum morbi adeo sint complicati, ut uni satisfacere indicationi vix unquam sufficiat.

§. XXXIV.

Proficiunt igitur, & quoniam fontem mali propius & vix immutata contingunt, aliis medicamentorum generibus & formis praecellunt clysmata in omnibus, si pauca tantum modo excipiantur, intestini crassi morbis, modo singulis morbi generibus accommodentur; verum enim vero, quicunque, vel hospes in arte salutari,

---

compositi, tum enema anodynum, Edinb. Pharmac. paup. p. 21. ingreditur.

(*a*) In enemate foetido Pharmac. paup. p. 22.

(*b*) KAEMPF. l. c. p. 257.

novit, quot morborum cauffa & fomes in hoc viſcere delitefcat, quot quantaque mala feces iuſto acriores, putridae, induratae, accumulatae, retentae in vicinis viſceribus, in inteſtino praeſertim tenui cauffari non ſolum poſſint, ſed frequentiſſime cauffentur, quantopere ciborum concoctio, & quae ab ea pendent, aliae corporis animalis functiones turbentur, quantum damni per varia mala intermedia, frequentiſſima teſte experientia, univerſae corporis oeconomiae inde contingat, is ſane ſolis inteſtini craſſi morbis ſanandis conducere clyſmata, vix ſibi perſuadebit.

§. XXXV.

Aſt non iis tantum morbis conducunt clyſmata, quorum niſi ſemper ſedem, primum tamen fontem in hoc viſcere haerere, exploranti religioſius & ſagacius Medico patet, ſed multis quoque vicinarum partium noxis, quae certiſſime non ex eo fonte ſcaturiunt; dum enim per longum illum inteſtini craſſi, coli praeſertim, tractum volvuntur illa fluida per anum iniecta, & in eo per aliquod tempus haerent, quis non, niſi fabricae & ſitus inteſtini craſſi plane ignarus, perſpicit, nunc frigore ſuo inconſueto, nunc calore, nunc partibus ſubtiliſſimis volaticis, per

tenues inteſtini membranas exhalantibus, agere in appoſita viſcera, agere praeſertim in inteſtinum tenue. ipſumque ventriculum, agere in meſenterium, omentum, hepar, lienem, in viſcera lotio ſecernendo & excernendo deſtinata, agere denique in uterum & vaginam uteri, indurata emollire, rigida lubricare & poſſe & debere enemata?

§. XXXVI.

Inde etiam eluceſcit eximius enematum tepidorum & emollientium in aliis atque aliis renum affectibus uſus; dum enim calore & halitu ſuo, in hanc regionem penetrante, aut vaſa rigore nimis conſtricta relaxant, aut ductus vel ſabulo, vel calculo impacto obturatos dilatant, exitum in canales ampliores parant, frictionem ad parietes allidentium tollunt, vel certe imminuunt, non cauſſam tantum acutiſſimi doloris auferunt, ſed malo nonnunquam ex radice ſanando inſerviunt: & certe videtur pars illius effectus, quem clyſmata, quae terebinthinam recipiunt (*a*), ad lotii excretionem augendam exſe-

(*a*) Quale enema terebinthinatum Edinb. Pharmac. paup. p. 23.

exſerunt ; in eo latere ; quod portio partium volatilium , quas copioſas in ſe continet , per inteſtini parietes in propinquum lotii ſyſtema tranſudet .

§. XXXVII.

Eſt ea porro corporis animalis ratio , ut ſive ſponte ſua naſcantur , ſive data opera a Medico excitentur in aliqua ſui parte turbae , aliae, etiam remotiores partes in conſenſum quaſi trahantur : ita enema , quamvis ano iniectum , & non niſi inteſtinum craſſum contingens , agere in caput , in cutem , in viſcera pectori incluſa , & aliis atque aliis eorum vitiis mederi poteſt : dum enim inteſtinum craſſum , pro morbi ratione & praefixa Medico indicatione nunc fortius , nunc lenius ſtimulat , ingens humorum rivus , eluendae quaſi illius ſtimulantis acrimoniae ergo , in hunc canalem amandatur , minuitur itaque , imo tollitur aliquando impetus , quo ſanguis reliquique humores in alias teneriores , debiliores , nobiliores partes ruunt ; unde in apoplexia , & lethargo , oculorum morbis , pectoris malis , potiſſimum acutis , in morbis exanthematicis , in quibus tamen cavendum eſt , ſi critica ſint exanthemata , ne nimium in eo labore turbetur

natura (*a*), in variolis (*b*) inprimis, & eo quidem praesertim fine, ne caput, oculos, faciem, fauces nimia copia petant, adhibita, mirifice prosunt. Huc etiam spectat quotidianus enematum emollientium apud foeminas gallicas usus, qui eo artificio cutem faciei teneram & glabram conservare tentant.

§. XXXVIII.

Insignis denique est atque admirandus omnium in universo corpore nervorum inter se consensus, ita ut non modo noxae, quas patiuntur, sed refectio quoque, quam languescentes, corroboratio, quam infirmati, sedatio quam turbati experiuntur, facile & satis celeriter, facilius & velocius in corporibus multum sensibilibus ab

(*a*) A. E. BUCHNER Diss. de circumspecto clysterum in morbis exanthematicis usu. Hal. 1757. 4.
(*b*) V. LAUFFEN de enematum in variolis necessitate. Argentor. 1752. 4. I. C. BERGER & I. THEOD. NEUCRANZ de usu venae sectionis & clysterum in curatione variolarum. Wittenb. 1711. in HALLER Disp. ad morbor. historiam & curation. facient. T. V. n. CLXXXI. in vernac. transl. in CRELLII Hallerischen Beytraegen zur Befoerderung der Geschichte und Heilung der Krankheiten. Berlin und Stettin. 8. V. V. 1784. p. 132. sqq.

altero ad alterum & ad univerſam nervorum compagem propagentur: etſi ergo parcius per inteſtinum craſſum diſperſi ſunt nervi, quam quidem per multas alias corporis animalis partes, ipſumque inteſtinum tenue; ſufficiunt tamen hi, ut effectus, quem experiuntur, per omnes reliquos ſe diffundat: quare egregium non raro ſolamen afferunt miſeris hyſtericis ac hypochondriacis enemata, quae ex remediis eiuſmodi ſpaſmos & turbas nervorum ſiſtentibus conflantur, v. c. enema foetidum (*a*), aut aqua calcis cum radice valerianae & herba cum floribus millefolii (*b*) commiſta, vel radici valerianae, herbae centaurae benedictae, roriſmarini, & millefolii, foliis citri, aurantiorum, floribus chamomillae & verbaſci infuſa, per filtrum traiecta, & aſſa adhuc foetida ſive therebintina, ovi vitello ſubacta, condita (*c*), qua poſteriori praeter multos alios ſimiles morbos KAEMPFIUS (*d*) pertinaciſſimam linguae & oris paralyſin, ZIMMERMANNUS (*e*) hyſtericum per annum du-

(*a*) Pharmacop. pauper. Edinburg. p. 22.
(*b*) I. KAEMPF. l. c. p. 243.
(*c*) Quale Nerven - vel Krampfkliſtir KAEMPFII l. c. 257.
(*d*) Scilicet aſſa foetida l. m. c.
(*e*) Apud KAEMPFIUM l. c. p. 259.

rans salivae profluvium brevi temporis spatio feliciſſime ſanatum viderunt : ut violentiam ſpaſmorum in acceſſu ipſo frangat aquae calcis praeter modo dicta capitis papaveris minutim conciſi pauxillum , & mucilaginis aquae roſarum ope ex contuſo hyoſcyami ſemine extractae aliquot cochlearia parva addi imperat KAEMPFIUS (*a*) .

§. XXXIX.

Dolores etiam remotarum partium , ſive primam ſuam originem ex inteſtino craſſo trahant, ſive non , leniri egregie poſſe enemate ex anodynis compoſito , quale eſt v. g. enema anodynum vel enema de amylo compoſitum Edinburgenſium , conſentiens Medicorum experientia abunde teſtatur ; pertinaciſſimos quoque & vitae robur adeo infringentes aegrorum vigilias debellari iſtiuſmodi mediis poſſe multa loquuntur exempla.

§. XL.

Referri denique ad hanc clyſterum in univerſum nervorum ſyſtema efficiam iure ſuo poterit eximius effectus , quem in ſedandis turbis-

(*a*) L. c. p. 257.

febrilibus, & ſanandis aliis malis periodicis, quorum fontem nervis inſidere non abſque veri ſpecie coniecit immortalis BOERHAAVIUS (*a*) toties praeſtitit, duce HELVETIO (*b*) Medicis, cinchonae cortex hac via formaque, delicatulis aut poſt longos morbos medicamentorum pertaeſis aegris paullo acceptiore, exhibitus.

§. XLI.

Notandum porro eſt, per totam internam inteſtini craſſi ſuperficiem, quamvis minus liberali, quam quidem per inteſtinum tenue, ſat larga tamen manu diſperſa eſſe patula vaſorum, lacteorum potiſſimum, orificia, quibus eorum, quae in inteſtini cavo haerent, ſubtiliſſimae ac tenuiſſimae partes abſorbentur, cum latice, quem continent, commiſcentur, ad glandulas

(*a*) Aphoriſm. de cognoſcend. & curand. morbis §. 574.

(*b*) Methode de gueris toutes ſortes de fievres ſans rien prendre par la bouche à Paris 1694. iam a BAGLIVIO (*c*) Prax. Medic. L. I. C. 13. §. 9. commendatus exhibendi modus.

(*c*) Sive pulverem aquae miſceas, ſive quod melius decocto utaris, triplo maiore doſi opus eſt, quam ſi per os aſſumatur. V. etiam VAN SWIETEN Comment. in Aphoriſm. BOERHAAVII Vol. II. p. 567.

mesentericas deducuntur; una cum chylo per reliquum systema chyli decurrunt, sanguini ipsi infunduntur, & cum sanguine confusae ad omne corporis punctum pertingunt.

§. XLII.

Unde demum patet amplissimus enematum usus, cui tamen si scopum praefixum plenissime assequi animus est, quemadmodum de omnibus enematibus valet, quae non in faeces tantum intestino inclusas (§. XXIII-XXVIII.) suam exserunt potentiam, omnino praegredi debent clysmata intestinum a sordibus, obscula illa obducentibus, enemati introitum denegantibus, liberantia v. g. aqua tepida, aut decoctum furfurum, in quo saponis pauxillum solutum est (*a*), aut si haec nihil efficiant, paullo acriora, vel magis composita.

§. XLIII.

Primo igitur, via consueta, qua alias alimenta ingeruntur, & in nutritionem corporis cedunt, qui casus in variis anginae speciebus, in vulneribus, vitiis organicis, tumoribus scir-

(*a*) KAEMPF. l. c. p. 267.

rhofis oefophagi & ventriculi faepius obtinet, occlufa, ac via nutrimentum corpori fuppeditari, & fuftineri adhuc per aliquod temporis fpatium debilis vita poteft: iniicitur eo fine v. g. lac meracum vel iufculum carnium non falitum vel aqua cum furfuribus cocta ad uncias quatuor, multoties tamen repetito eo labore (*a**).

§. XLIV.

Quum porro ad glandulas mefentericas, ad uterum, ad reliqua vifcera abdominis cavo contenta pertingat, quicquid ab illis vaforum ofculis in inteftinum craffum hiantibus fugitur, ultro elucefcit, enemata ex roborantibus, refolventibus, faponaceis, antifpafmodicis compofita, horum vifcerum robori reftituendo, humoribus multiplici modo iufto fpiffioribus, ftagnantibus, in vafa fua impactis, functionem vifceris turbantibus, eoque ipfo fexcenta alia mala, atrophiam, hydropem &c. inferentibus, refolvendis, attenuandis, agitandis, evacuandis mirifice prodeffe.

(*a**) Exempla quaedam memoratu digna v. apud KAEMPFIUM l. c. p. 214.

§. XLV.

Haec ſcilicet eſt indoles, hic finis, hic ef-fectus clyſmatum illorum viſceralium, quorum uſum, praeeunte Patre & Praeceptore, toties fauſtiſſimo ſucceſſu coronatum viderunt, tot tantiſque iiſque iuſtiſſimis encomiis celebrarunt KAEMPFII IO. (*a*) & GUIL. LUDOV. (*b*), KOCHIUS (*c*), SCHMIDTIUS (*d*) & KRIEGBAUM (*e*), atque alii, ex quibus nominaſſe ſufficiat ELWERTUM (*f*), FABERUM (*g*), CLOSSIUM (*h*) & ZIMMERMANNUM (*i*).

(*a*) Tum libro iam multoties allegato, tum Diſſ. de infarctu vaſorum ventriculi. Baſil. 1751.

(*b*) Diſſ. de morbis ex Atrophia. Baſil. 1756.

(*c*) Diſſ. de infarctibus vaſorum in infimo ventre. Argent. 1752.

(*d*) Diſſ. de concrementis uteri. Baſil. 1753. recuſa in CRELLII Beyträgen zur Beförderung &c. V. I. 1781. p. 596.

(*e*) Diſſ. de curatione febrium intermittentium. Gieſſ. 1745.

(*f*) Novae obſervationes de infarctibus vaſorum abdominalium. Tubing. 1754.

(*g*) Ulterior expoſitio novae methodi Kaempfianae, curandi morbos chronicos inveteratos, praecipue malum hypochondriacum. Tubing. 1755. una cum g. i. & m. recuſa in BALDINGERI ſylloge ſelectiorum Opuſculor. argum. Medico-Practici. Goett. 8. Vol. III. 1778.

(*h*) Apud I. KAEMPFIUM Abhandlung &c. Einleitung p. 12.

(*i*) Ibid.

§. XLVI.

Paranda quidem illa iubet KAEMPFIUS (a) ex aqua pluviali, aut quam in multis certe casibus potiorem deprehendit ex aqua calcis, quae cum radice taraxaci, tritici repentis, & valerianae officinalis cum herba centaureae benedictae, fumariae officinalis (vel loco utriusque gentianae centaurii & menyanthis trifoliatae), & marrubii vulgaris, cum herba & floribus anagallidis vulgaris, florum corolla phoenica conspicuae, cum herba, floribus & radicibus arnicae montanae, cum apicibus & floribus achillae millefolii, sive quae altera praestat, achillae nobilis, cum floribus matricariae chamomillae & verbasci thapsi, cum furfuribus tritici, & secalis cerealis, uno alterove aliquando omisso, adiectis etiam si morbi indoles requirat, radice rumicis acuti, rubiae tinctoriae (praesertim in obstructis mensibus), turionibus solani dulcamarae, cortice simarubae, herba conii maculati, & menthae piperitae foliis citri aurantiae, & una cum floribus rorismarini, felle tauri inspissato, & assa foetida.

(a) L. c. p. 228. sqq.

§. XLVII.

Sin autem corpus nimis ſiccum, fibrae nimis tenſae, ſanguis in inflammationem pronus infarctus iuſto tenacius adhaerens & quaſi tartareus, feces perquam induratae, alvus ſtricta, ſpaſmi validi, congeſtio ſanguinem in partes ſuperiores venaſque compellens, & motus febriles adſint, ab hoc enemate cavendum eſſe monet, & in eius locum aliud iniiciendum eſſe ſuadet ex ſero lactis vel decocto hordei toſti cum glycyrrhizae glabrae & recenti, tritici repentis, ac leontodontis taraxaconis radice, recenti radice, herba floribuſque altheae officinalis, herba malvae rotundifoliae, floribus verbaſci thapſi, & furfuribus ſecalis cerealis non ſiccatis cocta, adiectis aliquando ſucco ex fructu cucumeris vulgaris expreſſo, aceto, & mucilaginis limacis rufae, vel ſi alvus pertinaciter ſegnis maneat, uno vel altero cochleari electuarii lenientis, aut ſex vel ſeptem oxymellis unciis (*a*).

§. XLVIII.

Si oſſa praeterea affecta, glandulae meſentericae, haemorrhoides, menſes obſtructa ſint,

(*a*) KAEMPFIUS l. c. p. 241.

rubiae tinctorum radix largiori manu reliquae clysteris materiae adiecta mirifice prodest (*a*), iuvant quoque posteriori in casu teucrium chamaedrys, ruta graveolens & pauxillum hellebori nigri addita (*b*).

§. XLIX.

In calculo renum & vesicae, ipsa adeo dispositione calculosa, clysmata ex aqua calcis & succo dauci carotae inspissato cocta efficaciora reperit, quam eandem medicinam per os ingestam KAEMPFIUS (*c*). In morbis systematis urinarii, qui stimulo egent, terebinthina adiecta prodest; is enim est usus enematis, quod appellant terebinthinati, quem multi tamen, quasi nescirent acrimoniam huius balsami irritantem, temere ad omnem generatim nephritidem extendunt.

§. L.

Quum igitur (§. XLI.) ad sanguinem ipsum perveniant particulae efficaces materiae per anum iniectae, huius etiam vitiis clysmatum ope me-

(*a*) KAEMPFIUS l. m. c. p. 244.
(*b*) KAEMPFIUS l. c. p. 256.
(*c*) L. m. c. p. 243.

deri licet: quantum valeant clysmata ex cortice peruviano, instillatis aliquando paucis acidi vitrioli guttis, parata ad nativam sanguinis & humorum, in resolutionem & putredinem proclivium, crasin restituendam, ad putredinem universo corpori imminentem arcendam, in febribus malignis cum intermittentibus tum continuis, exanthematicis inprimis, & scarlatina praesertim anginosa maligna, quae usum internarum medicinarum vetat, nec non putridis verminosis, tam sua ipsius experientia, quam ex aliorum testimoniis mascule ostendit RAHNIUS (*a*).

§. LI.

Similiter veneno venereo domando idonea nuper demum decantavit clysmata, ex mercurio sublimato corrosivo albo praeparata ROYER (*b*).

§. LII.

Pluribus cacochymiae speciebus, quibus nempe plerumque humores & sanguis nimis in-

(*a*) Adversaria Medico-Pract. Turic. 8. Vol. I. 1779. p. 205. 208. 303. 395. sqq.

(*b*) Dissertation sur les lavemens en general, & particulairement sur une methode nouvelle, de traiter par ce moyen les maladies veneriennes, à Paris 8. Ed. 3.e 1778.

ſpiſſantur, aquam calcis & rumicis acuti radicem opponit KAEMPFIUS (a), virus ſcorbutico turiones ſolani dulcamarae, dyſcraſiae ſcrophuloſae conium maculatum, arthriticae, calculoſae, rhachiticae rubiam tinctorum (b), ſingula clyſmatis forma applicata.

§. LIII.

Generatim cetera monendum eſt, ſolis clyſmatibus nunquam acquieſcere poſſe Medicum, niſi leviora ſint mala; in gravioribus enematum efficaciam non vitae modo & victus ratione, ſed aliis etiam medicamentis tam externis quam internis, morbi cauſſam impugnantibus augendam eſſe, in multis clyſmatum uſu non morbum ipſum ſed ſymptomata tantum, quamvis urgentia, tolli.

§. LIV.

Neque nunc difficile erit videre, cur creberrima repetitione & diu continuato uſu opus ſit, ſi quid in pertinacibus viſcerum & humorum morbis effici per enemata debeat: largia enim praebiis ſemel & ſimul iniici nequeunt,

(a) L. c. p. 243. 244.
(b) L. c. p. 244.

quia irritabile inteſtini craſſi viſcus inſignem illum liquoris iniecti rivum cito citius, antequam reſorberi & praeſtare vel partem ſui effectus poſſet, iterum eliminaret: pauxillum tamen eſt, quod de uno enemate in vaſa tranſit, vel in humores ac ſanguinem defertur, atque ad illam pervenit partem, cui ſanandae adhibitum fuit clyſma, pauxillum certe, ſi cum univerſa humorum, non raro a nativa ſua eaque miti indole penitus alienatorum maſſa comparetur, pauxillum certe, ſi duro illi nodo, pertinaciſſimo ſcilicet infarctui, ſolvendo par eſſe debeat; mirari igitur non debemus, ſi non niſi poſt iniecta quinque clyſterum millia ſanatum infarctum viderit CLOSSIUS (*a*) (!!) & tribus iam elapſis menſibus vix notabilem ab eorum uſu quotidiano animadvertit in homine hypochondriaco effectum, continuato diutius uſu tanto laetiorem ELWERTUS (*b*), ſed firmare potius miſerorum aegrorum patientiam, quorum certe valetudo, quamcunque reſarciendi illam viam ingrediantur, non niſi lento paſſu redire proſpera poteſt.

(*a*) Apud KAEMPFIUM l. c. p. 264.
(*b*) L. c. §. XXX. nr. 2.

IO. GUILIELM. MOLL,

COLONIENSIS

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE
APOPLEXIA BILIOSA

Goettingae 1760.

§. I.

Definitiones Apoplexiae.

Morbum recte definire, primariam auctoris curam esse debere, non inepte multi iudicarunt, cum exacta morbi definitio praecipua eius symptomata complectatur, quae ad eum rite cognoscendum atque ab aliis distinguendum plurimum faciunt.

Nemo vero dubitat, in plerisque morbis difficulter, in multis vero plane non eiusmodi definitiones inveniri posse, cum idem morbus, vel pro diversa caussa, vel diverso in gradu

diversa exhibeat symptomata, vel etiam ad morbum ab alio cum ipso cognato distinguendum magna moles symptomatum enarrandorum necessaria sit, ut non definitionem, sed descriptionem morbi rectius nominare posses. Quae cum ita quoque in apoplexia sint, liceat mihi quasdam notissimarum enarrare definitionum morbi huius atrocis & ex iis eam eligere, quae huic morbo accommodatissima videatur. Nemo vero a me exspectet criticas animadversiones in definitiones allegandas, quod talis opera Hallerorum est, non tironis in arte.

BOERHAAVE (in Libr. de morbis nervor. T. II. p. 641.) apoplexiam ita definivit: Apoplexia est morbus iste, in quo I. desinunt omnes sensus externi; nam si vel unus possit excitari, vocabitur parapoplexia, II. desinunt omnes sensus interni; nullum est murmur, nulla inquietudo, nullum signum motus, nulla memoria; III. desinunt omnes motus musculorum arbitrarii; ergo est apoplexia morbus solius cerebri; nam ibi tantum omnes sensus externi, interni & motus laedi possunt. CELSUS in eo non dissentit; vocat enim apoplexiam resolutionem universalem omnium nervorum simul. Alio loco (Libr. cit.) BOERHAAVIUS, cum de similitudine somni profundissimi cum apoplexia loquutus esset, nominat hunc morbum somnum maximum

&

& profundissimum, unde aeger excitari nequeat. Ac idem Auctor (L. c. p. 646.) affirmat, ideam Medicorum omnium Doctorum de apoplexia hanc fuisse, quod sit oppressio principatus cerebri, occupatio cerebri instar urbis, perfecte cinctae ab hostibus, interceptio spirituum, extinctio animalitatis.

Porro (p. 647.) addit: DURETUS vocat extinctionem animalitatis; alii privationem motus & sensus citam & funestam; ablationem officii impetum facientis & affectum; ultimum quod in nobis manet de animalitate, est conatus musculos quosdam movendi; hinc si ille extinguitur, totus morbus est completus: alii destructionem potentiae, quae ad nervos defluit; illa potentia est vel sensus, vel motus, vel perceptio inde nata; videtis has omnes definitiones tantum idem significare; si hac ratione omnia observamus, accipimus eandem ideam, ac si morbi caussa nobis esset cognita.

LAUR. HEISTER (in Diss. cui titulus: de apoplexia magis chirurgicis, quam aliis medicamentis curanda: Helmstad. 1752.) hanc nobis tradidit definitionem: apoplexia est iste morbus, in quo sensus motusque in toto corpore subito plerumque abolentur, ita ut homo antea bene se habens, subito prosternatur, motu & sensibus ablatis, cum stertore, respiratione ta-

men & motu cordis atque arteriarum adhuc praesentibus.

B. m. SCHROEDERUS (in singulari §o Diss. *de apoplexiae praecordiorum vitiis origine Goettingae* 1767.) multa collegit, quae istis definitionibus opponi possunt. b. Viri verba sunt: memoratu dignum videtur, morbum hunc secundum definitionem illam apoplexiae generalem, quae systematicis Auctoribus arridere solet, quae nempe sensuum externorum ac internorum usum, simulque volontariam artus movendi potestatem plane abolitam postulant, tum quoad initium, tum quoad incrementa sua consideratum, rarissime contingere. Primum quidem animadverto, sensuum internorum cessationem minus accurate ad morbum attonitum generatim requiri posse. Etsi enim aegri eorum, quae ipsis durante insultu apoplectico acciderunt, & quae praesertim ipsorum in corpore ad praesentem functionum animalium torporem discutiendum suscepta fuerunt, se minus conscios esse referant, malo vel superato vel saltim rationis usu cum loquela restitutis; nimis tamen abscondita est internorum sensuum conditio, quam ut inde argumentari liceat insultus ipsius tempore, ab illorum usu mentem plane vacasse. Et eo minus quoque pro certo ab aegris negata perceptorum recordatio ipsos earundem rerum apperceptionem aliquam habuisse

plane refellit, quum & exempla prostent sublatae per vim capiti applicatam, aut gravem systematis nervosi morbum, memoriae eorum, quae sanior adhuc mens ante perpessum ictum peregit. Addidit praeterea b. Vir exempla & testimonia, quod plerique aegri, apoplexia correpti sensibus externis non plane privati reperiantur, ex WEPFERO, MORGAGNI, CAEL. AUREL. *Auctor. histor. morbi Uratisl.* BOERHAAVIO, VAN SWIETENIO & ELLERO, & eodem modo sese rem habere ratione motus voluntarii asseruit; multis enim deglutiendi, caput artusque nonnullos quodammodo movendi & vocem aliquam, licet intellectu difficillimam, edendi facultatem permanere; nec solum in attoniti morbi initio, aut primis insultibus, aut in decrementis, sensuum externorum & motuum voluntariorum aliqua exercitia adesse, verum & eiusmodi inveniri aegros, in quibus ista supersint, quum mors iam satis manifeste appropinquet; hinc pernecessariam esse differentiam, apoplexiam inter fortem aut exquisitam, atque aliam debilem sive levem, quae parapoplexia nominanda sit. Tandem b. Vir suam apoplexiae definitionem communicavit, dixitque morbum resolutionem sive magnam imminutionem virium nervosarum, quoad mentis universim cum suo corpore commercium, aut quoad omnes fere corporis

functiones animales, vitalibus saepe manifestius perseverantibus. Ac haec etiam prae reliquis mihi placet definitio, cum omnibus apoplexiae gradibus accommodata sit.

§. II.

Morbi divisiones & descriptio.

A longo tempore iam iam morbus attonitus ab Auctoribus in tres divisus fuit gradus, FRID. HOFFMANNUS (*in Med. rat. Syst.* Tom. IV. P. IV. Cap. I. p. 3.) de his sequentia memoriae prodidit: *Summus* nunquam non lethalis, si cum sensibus motibusque animalibus vitales simul, omnesque totius corporis actiones uno impetu prosternuntur; *secundus* tollit sensuum motuumque voluntariorum ac rationis usum, non autem vitales prosternit actiones & plerumque in hemiplecticos transit affectus; *tertius* iisdem ac secundus prodit se notis, differt tamen, quod breviori tempore penitus depellatur. LAUR. HEISTER (in Diss. cit.) tres pariter apoplexiae gradus ponit, convenientes quidem quoad sensum cum modo enarratis, in descriptione vero differentes. Verba eius haec sunt: *in summo gradu* aeger in terram incidit & intra brevissimum tempus mortem obit; *secundus est gradus*

ubi aeger ſubito proſternitur, ſenſibus & motibus voluntariis amiſſis, pulſu tamen cordis & arteriarum ac reſpiratione vel ſalvis vel ſaltem parum laeſis. Quando vero aegri procidunt motu voluntario vel in totum, vel ex parte abolito, ſenſibus tamen vel omnibus adhuc integris, vel ſaltem quibuſdam amiſſis, quo in caſu haud raro motus alicuius partis remanet, *tertii gradus* ſpecies eſt.

Iudicio & experientiae ſummorum in arte noſtra Virorum relinquo, num haec diviſio vero ſatis conſentanea ſit; ego certe, cum vero ſimillima videatur, experientia deſtitutus, eam in dubium vocare, vix auſim.

Alia eaque notiſſima apoplexiae differentia eſt inter *ſanguineam* & *ſeroſam*, quae vero merito diſplicuit C. A. MANGOLD (Vid. eius Diſſ. docens: *Apoplexiae plures praeter ſanguineam & ſeroſam dari ſpecies*. Erford. 1765.). Olim enim arbitrati ſunt, cum in cadaveribus multis apoplexia defunctorum ſanguinem aut ſerum extravaſatum in cerebro inveniſſent, cauſſam apoplexiae primam a preſſione cerebri ab extravaſato ſive ſanguine ſive ſero repetendam eſſe, & hinc apoplexiam mox ſanguineam, mox ſeroſam nuncuparunt.

At non pauci e recentioribus huic differentiae oppoſuerunt, quod ſaepe nihil extravaſati

in cadaveribus apoplexia extinctorum reperiatur, & quod aeque ab encephali vaſis diſtentis ac ruptis apoplexia excitari poſſit. Addo, quod ſi etiam concederem, apoplexiam ſemper a compreſſione cerebri ſive a ſanguine ſive a ſero produci; mihi tamen ex anatomia ſyſtema vaſorum non notum eſſe, quod ſerum ſolum & ſincerum per totum corpus veheret; ſed ſemper illud cum ſanguine in uno vaſorum ſyſtemate coniunctum eſſe. Hinc ſanguis apoplexiam non excitabit, ſine congeſtione ſeri, nec compreſſio cerebri locum habebit a ſero, ſine ſanguinis congeſtione. Quod vero ſerum ſine ſanguine in cerebro inventum ſit, mirum cuiquam videri nequit, cum ſerum fluidior ſanguinis pars ſit & hinc facilius vaſa egrediatur, quam cruor magis compactus. Serum vero nimio congeſtionum verſus cerebrum impetu, & ſanguine inde in vaſis encephali compreſſo, per aperturas horum vaſorum minimas propelli videtur; quo impetu aucto, aut ductus affligente, vaſa ſanguifera aut rumpantur, aut ſanguinem certe dimittant, neceſſe eſt. At non ſemper extravaſationem ſanguinis aut ſeri apoplexia ſequitur, nec diſtenta encephali vaſa ſemper eam inferunt; alioquin oppido frequens foret apoplexia; & ſigna praeterea ſeroſae & ſanguineae apoplexiae ita ambigua ſunt, ut hanc diſtinctionem non firmo talo ſtare, facile pateat.

Tandem etiam huic differentiae contrarium eſt, quod a vaſis ſanguiferis nimium depletis, aut evacuatione alia repentina & nimia apoplexia oriatur. Melioris conditionis differentia eſt, apoplexiam inter fortem aut exquiſitam, atque aliam debilem ſive levem, quam parapoplexiam recentiores dicunt, & quae diſtinctio ex enarratis gradibus elucet (Vid. SCHROEDERI *Diſſ. cit.* p. 7.).

Raro, aut fortaſſis nunquam apoplexia aegrum ſine prodromis invadit. Olim iam ARETAEUS (*de morbis diuturnis* Libr. I. Cap. VII. p. 36.) eiuſmodi nonnunquam prodromos apoplexiam praeſagire affirmavit; & THIERY (*Medicine experimentale* p. 145.) nullum forſitan morbum praenuntia antiquiora habere, quam apoplexiam idiopathicam contendit. LANCISIUS pariter (Oper. omn. Cap. XX. L. I. §. VI. p. 24.) raro quem prehendi apoplexia, niſi eius praeludia praeceſſerint, cenſuit, & Illuſtr. TISSOT (*in Epiſt. ad b.* HALLERUM) exiſtimavit in iis, qui ſine manifeſta cauſſa ſubito apoplexia corripiantur, ſaepe tamen ſymptomata adfuiſſe, quae morbum pridem, antequam invaſiſſet, ſi modo aegri attenti fuiſſent, praedicere potuiſſent.

Quos vero prodromos quod attinet, primam invaſionem ſtomachus & inteſtina ſentiunt;

aegri ſcilicet de nauſea, borborygmis, & deſidendi conatu, conqueruntur. Senſum circumgyrationis habent, ſimulac nauſeam cum anxietate percipiunt, ſcintillas ad exemplum ſune ſuſpenſorum, micantes & varii coloris maculas ab oculos volitantes videre credunt. Sentiunt dolorem acutum in capite eiuſque vel antica vel poſtica parte, oculi caligant, ita ut quidam ambobus, alii atero oculo intueri nequeant, & vertiginoſa capitis temulentia cum ſenſu formicationis in artubus praeſto eſt. Praecedunt etiam inſultum apoplecticum vox tremula, artuum gravitas, ſomnolentia, ſomnuſque nimis placidus, dentium ſtridor inter dormiendum, dolores circa praecordia ſenſibiles quidem, ſed fugaces, incubus frequens, faciei, genarum & oculorum rubor inſolitus, ſuſurrus aurium, deformatio vultus, ut quibuſdam os diſtorqueatur, inſolita mentis alienatio, pigritia & memoriae debilitas & huius generis prodromi alii.

Nonnunquam tamen exempla annotata ſunt, ubi prodromi plane defuere. Inopinato enim quidam, & uno quaſi temporis momento, ſine nuntio inſtantis fati reſolutis membris omnique ſenſu privati corruerunt, & nonnunquam ſtatim animam efflarunt. WEPFERUS (*Hiſtor. Apoplect.* I. p. 427.) exemplum adfert, ubi quis inter prandendum, & MORGAGNI (*de cauſſ.*

& sed. Morbor. Epist. V. n. 17. p. 41.) historiam narrat, ubi aethiops inter tuba canendum, apoplexia subito correpti & vita statim defuncti sunt.

Saepiuscule tamen per leviores insultus increscit malum ; & nisi efficaciora sunt, quae ipsi opponuntur, artis auxilia, in graviorem & exquisitum, & plerumque insanabilem transit morbum.

Saepe typum febrium remittentium & intermittentium induit, vel cum illis coniuncta est apoplexia, cuius generis exempla multa Observatores, praesertim SYDENHAMUS, BAGLIVIUS, WERLHOFIUS, MEDICUS, aliique memoriae prodiderunt.

Nonnunquam specie gravioris hysterici aut hypochondriaci paroxysmi incedit, & ubi iam debilitatum systema nervorum aut nimia sensibilitas praesto est & inanitio, vel alia debilitans caussa accedit, in hemiplegiam aut minorem paralysin transit.

BOERHAAVIUS igitur & SYDENHAMUS confirmant, huic morbo interdum obnoxias esse mulieres in partu, si magnam sanguinis iacturam fecerint, aut partu laborioso vexatas, aut animi graviore commotione perturbatas.

Interdum etiam ad alios accedit morbos acutos pariter ac chronicos, tanquam morbus

secundarius, quos vehementiores & curatu difficillimos reddit.

§. III.

Caussae huius morbi variae.

Discrimen apoplexiam serosam inter & sanguineam minime firmo fundamento niti dixi. Restat ut in caussas morbum hunc proxime vel remotius inferentes accuratius inquiram. Encephalum & systema nervosum maxime in hoc morbo affici, tum ea, quae hunc morbum comitantur, symptomata, tum caussae huius morbi proximiores, tum effectus eius abunde docent. Sensuum enim motuumque exercitia ad tempus circumcisa imminutaque videmus; novimus, morbum frequentius oriri, ubi capiti vis illata, qua caput fortiter commotum, concussum, vel in encephali parte quadam compressio, aut laceratio aut humorum stagnatio, aut eorum effusio, aut nimia vasorum extensio, aut verior inflammatio, suppuratio, corruptio excitata (SCHROEDER Diss. cit. p. 5.); paralyses denique, quae ex hoc morbo plerumque relinquuntur, affectum encephalum & systema nervosum satis arguunt. Id vero, quod plurimas in explicandis huius generis morbis difficultates parit, observatio est, qua scimus, unam eandemque caussam mox apo-

plexiam, mox epilepsiam, mox mentis alienationes gignere.

Variae interim Medicorum de caussa proxima apoplexiae sententiae extitere. BOERHAAVE (Aphor. de cognos. & curand. morb. p. 374.) eam ponit in impedito integre vel multum, effluxu liquidi cerebrosi spirituosi in organa sensuum, motuum voluntariorum, & vicissim huius reflexu ab his organis in ipsum sensorium commune, superstite interim cerebellosi liquoris in cor & naturalia respirationis organa itu & forsan reditu aliquo, qui ad has functiones sustinendas quodammodo sufficiat. Verum lapsum esse BOERHAAVIUM in eo, quod perdurantes in apoplexia vitales actiones, illaeso in initio cerebello, adscripsit, multi iamiam monuerunt, in primis b. HALLERUS (prim. lin. Physiol. p. 167.), ELLERUS (Observ. de cognos. & curand. morb. p. 279.) fere eandem caussam proposuit, impeditum scilicet fluidi nervei motum reciprocum, qui inter sensorium commune cerebri, & sensuum organa musculosque voluntati nostrae obedientes iugiter subsisteret, caussam arguens; nec dissimiles aliorum multorum sententiae hac de re sunt. MORGAGNI (de causs. & sed. morb. Ep. II. n. 6.) diversam ab his caussam proximam tradidit; eam nimirum esse intimorum, qui in cerebro fierent, motuum,

cum nempe movemus, sentimus, cogitamus; subitam imminutionem, tantam interdum, ut proxime ad cessationem accedat, aut in cessationem continuo transeat; & hanc quidem imminutionem a multis & variis caussis inferri posse arbitratur. At haec sententia, licet optima videatur, suis non destituta est difficultatibus. Quales enim isti motus intimi sunt? Quomodo imminuuntur? si subito imminuuntur, unde in multis aegris, imo in plurimis, sensim sensimque praegressis multis prodromis morbum hunc oriri videmus.

Magis patent caussae reliquae apoplexiam inferentes. Expositos nimirum attonito morbo scimus eos esse; qui aetate provectiores sunt, quibus collum breve, caput amplum, corpus valde crassum & pingue est, qui sanguine abundant, qui vino, epulis aut desidiae dediti, quique litterarum studia intentius tractant.

Ita videmus eos maxime ad hunc morbum pronos esse, quorum systema nervosum debilitatum, aut in quibus capitis collique ea est ratio, ut encephalum congestionibus pateat, aut commode sanguine liberari non possit, aut in quibus continuo congestiones versus caput praesto sunt, aut certe ex abundantia humorum metuendae. Mirum igitur non est, si aliae accedentes caussae, quae vel remotius, vel propius

ſyſtema nervoſum afficiunt, hunc morbum excitent. Huius vero generis cauſſas in quatuor claſſes commode diſpeſci poſſe exiſtimo, & ſub qualicunque *laeſione* & *compreſſione* encephali, *humorum ſpirituumve ſubitanea detractione*, *ſpaſmis* & *venenis* omnes cauſſas apoplexiam inferentes facili methodo comprehendo.

Quod cauſſas qualicunque ratione encephalum comprimentes, laedenteſque attinet, eae cerebrum, medullam cerebri, arterias, & venas cerebri aut nervorum principia afficiunt. Huc refero primum *vitia varia* in his partibus notata, cuius generis ſunt: calvaria fracta & partes oſſeae de ſede ſua motae a violentia quadam capiti illata, qua commotum, concuſſum, vel in parte quadam compreſſum encephalum eſt; tumores intra cranium nati, inflammatorii, abſceſſus, ſeroſi, pituitoſi, ſteatomatoſi, ſcirrhoſi, oſſei, cyſtici; hydrops cerebri, hydrocephalum; inflammatio cerebri aut meningum, exulceratio cerebri; lapides intra cerebrum geniti, oſſeſcentia vaſorum aut ligamentoſus & cartilaginoſus habitus aut varicoſus; polypoſae & mucoſae concretiones, aneuryſmata & varicoſa vaſorum fabrica (Cf. DE HAEN Rat. med. P. IV. Cap. V. p. 162.). Secundo huic claſſi cauſſarum annumero *vaſa dilatata & rupta*, quae comprimendo cerebrum, & in functionibus ſuis

turbando saepius apoplexiam inferunt. Vasa autem dilatantur & rumpuntur a caussis iis omnibus, quae sanguinis & humorum abundantiam creant, sanguinem rarefaciunt & versus encephalum urgent, vel etiam reditum sanguinis ex encephalo impediunt; facit igitur huc abusus vini & spirituosorum, de quo DE HAEN (*Rat. med.* L. c. p. 166.) ita sensit: alcoholis est, dum sanguine susceptum circumducitur, illum rarefacere; spatium igitur maius occupantes humores vasa extendunt, dilatant, simulque eadem dilatata, quod vehementem stimulum circumferant, in validiorem adigunt actionem. Repetita multoties hac actione, debilitantur sic vasa, ut communi & tranquilla circulatione humorum languide tantum reagant, nec nisi stimulo repetito debite suos propellant humores. Sed demonstratum est repetita rarefactione humorum vasa debilitari. Ergo quo saepius necessarius est stimulus, ut torpor vasorum excitetur, eo frequentius eadem rarefactio vasa extendens, caussam debilitatis adauget. Et hinc demum tristis illa necessitas vini spirituumve copiam sensim augendi, cum vasa de die in diem debiliora a consuetis ultra non afficiuntur. Hinc capimus, cur tandem arteriae & venae piae matris aneurysmaticae & varicosae fiant. Porro huc pertinent diaeta lauta, amputatio membri maioris,

deficiens aut suppressa haemorrhagia, neglecta sanguinis missio; motus nimius, ebrietas, insolatio, ictus fulminis, plethora, ingluvies, obesitas, nisus in partu, commotio cerebri, alapa, strangulatus, tussis vehementior, sternutatio, contentio studiorum, enormis caloris & frigoris gradus, res odoratae & halitus ex parietibus conclavium calce recens obductis, qui sanguinem versus caput alliciendo, nec ut censent multi, venenata quadam vi apoplexiam inducere mihi videntur; collaria angusta, variae thoracis distorsiones, asthmata, tumores in pectoris cavo nati, & venam cavam descendentem comprimentes, inflammationes faucium & pectoris, viscerum, polypi in corde & maioribus vasis, valvulae cordis induratae, ligamentosae, osseae, calculosae & si quae caussae aliae sunt. Tertium locum inter eas caussas, quae qualicunque compressione laesioneque nobilissimi visceris vel partis eius attonitum morbum producunt, metastases obtinent. Videri quidem cuiquam posset, quasdam metastases nimis subtiles esse, quam ut pressione quadam nocere possent; sed expendi debet, a paucis saepe sanguinis serique guttulis apoplexiam notatam esse, & me hic eiusmodi pressionem intelligere, quae irritamentum cerebro afferre possit. Huius generis vero metastases faciunt materies arthritica, podagrica, rheumati-

ca, variolosa, morbillosa, herpetica, scabies retropulsa, lactis repressio; lotium retentum, perspirabile retropulsum, coryza suppressa, quibus, quae in febribus malignis fiunt, metastases annumerandae sunt.

Alteram caussam, apoplexiam cientem posui repentinam humorum spirituumve detractionem; hanc autem irritare posse, spasmi in haemorrhagiis gravioribus abunde docent. Huc igitur refero: vulnera vasorum ipsius cerebri, haemorrhagias, alvi fluxus profusos, diuturnum moerorem, vigilias protractas; fortassis etiam contentio nimia studiorum, & aquae hydropicorum una vice emissae huc pertinent.

Quartum locum inter caussas systema nervosum, vel encephalum irritando apoplexiam inferentes, *spasmi* tenent. Hos vero, qui effectus stimuli & vividioris sensilitatis vel irritabilitatis partis cuiusdam, vel totius corporis sunt, iterum stimulum infestum fieri posse, quo systema nervosum irritetur, spasmi abdominales declarant, quibus graviora saepe encephali pathemata producuntur; docet etiam hysterica & hypochondriaca passione, imo chorea Sancti Viti & epilepsia laborantium magnopere debilitatum systema nervosum. A spasmis autem maxime abdominalibus sanguis validius versus encephalum propellitur, ibique retinetur. Ad hanc

autem

autem classem refero, vitia praecordiorum, quae spasmos movent; nimiam venerem, spasmorum genitricem; animi pathemata graviora, praesertim iram, terrorem (*a*), gaudium, epilepsiam,

(*a*) Ill. ZIMMERMANN (von der Erfahrung. B. IV. Cap. XI. p. 639.) sequentia narrat: Alle Leidenschaften stürzen in einem hohen Grade der Heftigkeit den Menschen entweder in den Todt oder in eine fürchterliche Krankheit, oder wenigstens in eine grosse Gefahr. Die gröſten Aerzte versichern einmüthig, tödtliche Schlagflüsse seyen eine der gemeinsten Folgen eines heftigen Schreckens, und auch einer grossen Furcht. Sie halten überhaupt unter allen Krankheiten, welche auf heftige Leidenschaften folgen, die Schlagflüsse für die gemeinsten. Das Herz wird vol diesen ausserordentlichen Eindrücken so heftig angegriffen, dass es sich gleichsam schliest, kein Blut empfängt, und fast keines fortstöst. Darum erblast das Angesicht, die Lippen werden blass, alle Bewegung hört auf, und oft fällt der Mensch plötzlich todt zur Erden. Die Starrsucht und die Epilepsie sind nicht selten die Folgen eines übermässigen Verdrusses oder eines sehr aengsthaften Schreckens. Jede, auch nur eine mittelmässige Leidenschaft verursacht eine Schwierigkeit im Athmen und der Sprache, ein unerträgliches Spannen über die Brust, oft klebt die Zunge am Gaumen. FRID. HOFFMANN (Med. rat. syst. T. II. p. 162.) quae sequuntur de terrore addit: experientia cognitum habemus, si terror post haemorrhagiam largiorem, vel etiam sub mensium fluxu, vel post eorum proruptionem co-

morbos convulſivos, hyſtericam & hypochondriacam affectionem, & lethalem ilei gradum.

Ad venena venio, ultimam cauſſarum huius generis claſſem. Quae licet magnam partem alia virtute vim ſyſtematis nervoſi proſternere videantur, tamen praeſertim ſi ſenſu latiori irritationem accipias, ſtimulo non carent. Ad hunc autem cenſum referenda ſunt: opium, hyoſcyamum, cicuta utraque, datura, belladonna, fungi (*a*), aer mephiticus & vapores metallici.

Ita mihi videntur ponendae cauſſae, quae apoplexiam ciunt, tametſi non inficias eam, unam eandemque cauſſam ſaepe pluribus modis, & non ſemper uno eodemque hunc morbum inferre poſſe. Eo tamen redire omnes crediderim, ut irritando encephalum aut ſyſtema nervoſum hunc morbum inferant. Verum dicet aliquis, ſaepe & gravius quandoque cerebrum & ſyſtema nervoſum irritari, nec apoplexiam ſubſequi? Concedo; ſed eaedem cauſſae, quae apoplexiam,

---

pioſam aut diuturnum morbum foeminas invadat, ſpaſmos & flatulentias primarum viarum, quin imo trunculentiora, non ſine magno vitae periculo ſequi pathemata, cuius generis ſunt animi deliquia, paralyſes, *Apoplexiae*, reſpiratio difficilis &c.

(*a*) Cl. LUPIN (hiſtor. morb. difficil. Ratisb. 1768.) exemplum habet apoplexiae ab eſu fungorum natae & vomitorio ſanatae.

& alios e nervofis non modo morbis, fed alius etiam generis inducunt; hinc modus agendi cauffae non a certo eius effectu, fed a corpore hoc vel illo modo difpofito pendet.

§. IV.

De Apoplexia biliofa.

Propius ad argumentum meum nunc accedo, nimirum ad apoplexiam biliofam. Iam igitur dicendum erit primo, num occurrat haec apoplexiae fpecies & deinde quomodo oriatur. Biliofam vero apoplexiam dico non eam modo, quae a colluvie biliofa in ventriculo & primis viis congefta oritur, fed vocabulo bilis latiori fenfu accepto, quemadmodum hodie folent artis periti, eas quoque apoplexiae fpecies fub ifta comprehendo, quae a fordibus primarum viarum aliis, & vitiis vifcerum colluviei biliofae faventibus excitantur. Quodfi enim paullo accuratius mentem ad hanc rem advertimus, vitia ifta plerumque coniuncta reperiemus. Primo quidem, notari fcilicet apoplexiam iftam biliofam, exempla eorum in Medicorum adverfariis docent, qui hac attoniti morbi fpecie correpti, vel ex ifta periere, vel fpontaneo aut arte moto vomitu, & alvi fluxu ifta liberati funt. Ill. C. MEDICUS

(*Geschichte periodischer Krankheiten.* B. 2. pag. 299.) duo memoriae prodidit exempla aegrorum apoplexia periodica extinctorum , ubi in cadaveribus dissectis ne minima quidem laesionis encephali vestigia detecta sunt , primae viae vero praeter modum materia biliosa abundarunt , qua & vicina viscera & membranae tincta fuere . Similem sectionis historiam a MORGAGNI relatam narravit b. SCHROEDER (L. c. p. 36.) ubi in mulieris apoplexiae extinctae cadavere , varia vitia hypochondriorum reperta sunt . Nec rarae sunt historiae eorum , qui apoplexia feliciter liberati sunt , cum vel natura vel ars vomitum & diarrhoeam tempestive excitaret . Sic Cel. GRANT (von den Fiebern aus d. Engl. Leipzig 1776. p. 446. seq.) varia exempla adfert , ubi apoplexia adfecti solo vomitu bilioso vel spontaneo vel arte excitato pristinam animi recuperarunt potentiam . Unicum modo his adiicere exemplum liceat . Mulier aliquot annos ante insultum apoplecticum haemoptoe correpta & ab ea liberata est . Mox in dysenteriam incidit , e qua venaesectionis , evacuantium & acidorum auxilio iterum convaluit . Deinde febre biliosa correpta est , a moerore & curis nata , qua profligata , brevi post inter ludendum in apoplexiam incidit . Oculi erant flavedine tincti & pupilla valde dilatata apparuit ; lingua sordibus albis

obducta fuit, venter tumuit & alvus adstricta fuit. Purgantia repetitaque venaesectio eam in pristinam restituerunt sanitatem.

VAN SWIETEN (*Comment.* T. III. pag. 266.) qui perinde saepenumero apoplexiam in primis viis sedem suam habere, ibique impugnari debere affirmat, historiam retulit cuiusdam, qui inter amicos versans apoplexia corripiebatur, qua vero vomitu spontaneo, quo praeter ingesta ingentem pituitae copiam reiecit, liberatus est. Recte igitur Cel. RHAN (Diss. *mirum caput inter & viscera abdominis commercium.*) argumentum, praecipuum, quo doctrina de consensuali praecordiorum in apoplexia excitanda potestate, maxime stabiliri videtur, praebent salutares persaepe observati successus & naturae moliminum, & artis auxiliorum, quibus expurgatae primae viae, quibusque a stagnationibus humorum liberata fuerunt hypochondriorum viscera. Huc innumera quoque exempla pertinent eorum, qui ventriculo cibis nimium repleto in epulis apoplexia correpti sunt, unde vomitu mature excitato saepe cito in pristinum sanitatis statum restitutos esse legimus. Etenim fere eodem modo, quo bilis apoplexiam excitare valet in primis viis congesta, sordes huius generis morbum inferre videntur, qui quidem tunc certius citiusque orietur, si vina simul, aut potulenta

ſpirituoſa, cum nimia ciborum copia liberalius ingeſta ſunt. Perinde me minime a vero aberraturum eſſe cenſeo, ſi apoplexias, quae ſubinde epidemicae notatae ſunt, partem maximam ad biliofas referam. Tametſi enim hieme, autumno & vere (a) praeſertim apoplexiae epidemicae obſervatae ſint, ubi caelum nubilum atque frigidum exiſteret, aut intemperies calida & humida ſubito algidam exciperet & vice verſa, ut proinde ex barometro apoplexiam praeſagire allaboraverit KRAMERUS (Comm. Nor. N. 1732. p. 346.) porro etiam in tuſſis & gravedinum ſatellitio (HUXHAM l. c.) epidemiae iſtae occurrerint, ut perſpirabile cutaneum ſuppreſſum potius cauſſam arguas; tamen & tuſſes & gravedines plerumque cum primarum viarum ſordibus coniunctae ſunt, & conſtitutiones iſtae epidemicae, ſordes bilioſas generare valent. Ac frequentius etiam apoplexia epidemica occurreret, ſi a ſolo perſpirabili cutaneo ſuppreſſo & in quolibet oriretur. Sordes igitur & bilioſas quidem etiam tunc cauſſam apoplexiae arguere, mihi non temerarium videtur, cum epidemiae a bile praeſertim in autumno rarae non ſint, & bilis magis caput offendere ſoleat, quam perſpirabile ſuppreſſum. Febres intermittentes ſoporo-

(a) HUXHAM Oper. T. I. p. 202.

sae, apoplecticae raro statim ab initio hanc ostendunt malignitatem; sed sopor plerumque secundo tertiove & serius interdum febrium intermittentium paroxysmis se adiungit. Verosimillimum inde redditur, a primarum viarum repurgatione neglecta, certe a sordibus biliosis collectis, acribus soporem, eumque valde perniciosum excitari. Largiuntur hoc, qui in arte medica illustrem nominis gloriam consequuti sunt, SYDENHAMUS, TORTI, MEDICUS, WERLHOFIUS, perturbationi viscerum hypochondriorum & bili vitiosae & abundanti hoc malignum febrium symptoma adscribentes; & probant hoc etiam symptomata, nausea scilicet, oris amarities, vertigo, vomitus biliosi, diarrhoeae morbum levantes biliosae, urina turbida, & viride sanguinis emissi serum. Fortassis vero obiiciet aliquis, soporem ex hac caussa nasci non posse, quod cortice peruviano, & ex WIRTENSOHNII (Diss. de Opio) mente & observatis, opio tolleretur; at hoc modo probat proximam soporis caussam spasticam esse, nequaquam vero, remotiorem sordes & inquinamenta primarum viarum esse non posse. Videmus etiam WERLHOFIUM in febribus his soporosis, ubi nimis manifesta essent sordium in primis viis indicia, evacuantia, quae vomitum & alvum moverent, corticis peruviani usui praemisisse. BOERHAA-

VE l. c. infantem vidit tanto sopore correptum in paroxysmo tertianae febris, ut mortem instare adstantes crederent, quem vero soporem exhibito purgante rhabarbarino feliciter sustulit. FRID. HOFFMANN (in Oper. T. III. p. 215.) asserit, saepe sopores manifeste ex irritatione stimulisque in praecordiis latentibus originem ducere. Sic enim venena narcotica ingesta soporem excitant, qui, nisi evacuantibus cito haec venena removentur e primis viis, lethalis evadit, cuius generis exempla a WEPFERO (*in histor. de cicut. aquat.* p. 5.) relata leguntur. Porro ebrietas soporem inducit & apoplectica morte non raro homines extinguit, quos perniciosos potulentorum inebriantium effectus vomitus & , qui stimulos horum potulentorum in primis viis infringit, potus theiformis tepidus optime tollunt. Denique vermes in tractu intestinorum haerentes saepius in infantibus, rarius in adultis soporosos effectus inducunt teste VAN DEN BOSCH (*Hist. constit. epid. Verm.* p. 316.). Proinde recte monuit Cel. RHAN (Diss. cit. p. 75.) vermes quoque intestinales non minores interdum exercere effectus, & ubi infantes profondiore sopore corripiantur, fere semper animalcula illa in suspicionem venire. Atrabiliarii non raro apoplexia corripiuntur, teste magno BOERHAAVIO. In his enim bene monuit,

ſaepe tam parum remanet vitae, ut tantum non mortui ſint; vix adeſt pulſus & reſpiratio, vix calent, vix comedunt, bibunt & dormiunt, ſed manent quaſi iidem & hi ſaepe fiunt apopleɑici; nec ignoravit HIPPOCRATES (Seɑ. VI. Aphor. 56.) apoplexiam fieri ex morbis melancholicis. In his vero non viſcerum modo hypochondriorum funɑiones valde perturbatae ſunt, ſed bilis etiam corrupta & abundans manifeſte inſultum apopleɑicum accelerat & inducit. In iſtis, qui hypochondriaca affeɑione laborant, nec non in hyſtericis ſubinde apoplexia notatur, quae ſine dubio a perturbatis viſcerum abdominalium funɑionibus, & accumulatis inde ſordibus varii generis originem ducit. Fortaſſis etiam, quae arthriticis & podagricis familiares ſunt, apoplexiae huc referendae ſunt. In his enim vel materia arthritica retrograda in culpa eſt, vel natura ob debiliores vires hanc materiam non amplius valet ad articulos propellere & haec ideo in praecordiis relinquitur, & apopleɑica morte fatum accelerat. In arthriticis certe & podagricis varia vitia praecordiorum morbos articulorum vel praecedunt, vel cum iis coniunɑa ſunt, ut accedentibus arthriticis & podagricis inquinamentis ſive ſenſim, ſive cito apoplexia oriatur. Haec fuit mors MARCELLI MALPIGHII, qui referente BAGLIVIO (Eius

Oper. omn. p. 681. 82.) vomitibus & secessibus biliosis, deinde vomitibus acidis, palpitationibus cordis, calculis renum & vesicae, urinis cruentis, & interdum affectionibus podagricis levioribus laboravit, postea praecedentibus curis & animi commotionibus apoplexia correptus fuit cum totius lateris dextri paralysi, a quibus liberatus, praeter varias sensorii communis & nervosi systematis perturbati affectiones, etiam inappetentia & ventriculi indigestionibus per intervalla inplicitus mansit, post spatium vero quatuor mensium vehementiori succubuit insultui apoplectico. Ipsa mors apoplectica, quae febres subinde gastricas terminat, abunde probat, apoplexiam biliosam ad commenta Medicorum referendam non esse. Praeterea a bile & sordibus primarum viarum congeneres affectiones encephali saepius oriuntur. Sic paralyses novimus non raro a primarum viarum colluvie oriri, ut modo venena ingesta, modo vermes (VAN DEN BOSCH l. c. p. 42. 149.) modo sordes aliae, quemadmodum in dysentericis hoc quandoque a neglecta primarum viarum evacuatione notari solet (FABRICIUS Diss. *de Paralysi dysenter. familiari*, in HALLERI *Collect. Diss. Pathol.* V. I. p. 97. III. ZIMMERMANN *von der Ruhr unter dem Volke* p. 142.) paralyses inferant. Deliriorum etiam tum acutorum, tum chro-

nicorum caussa saepenumero in praecordiis latet. BOERHAAVE (Praelect. de Nerv. morb.) ideo affirmat saepe sordes ventriculi, deliria in morbis acutis proferre & nullis levari medicamentis, nisi hae sordes expurgentur. Namque si sanguis mitteretur, ut debilitentur vires aegri, pro momento quidem levari, sed mox eadem redire mala, si vero diluentibus vel emetico expurgentur sordes, omnia paccata esse. Cel. RHAN (l. c. §. 36.) inde, ait, adeo frequentia sunt deliria in febribus, quarum praecipua caussa acris primarum viarum colluvies est, nimirum in biliosis adeo interdum vehementia & continua, ut phrenitici dici possint, sed facile tollenda, modo acris colluvies mature expurgetur; neque ulla fere febrilis morbi species est, cui non deliria ex hac caussa se adiungere possint. Idem etiam ab Ill. TISSOTO (*in Opusc.* T. I. p. 77.) confirmatum legimus. Maniam, melancholiam & alia deliria chronica ex eodem manare fonte, & symptomata, quae in his morbis apparent, & caussae a quibus oriuntur, abunde docent. Convulsiones subinde irritationum quandam in praecordiis caussam arguunt; hinc vermes, sordes acres in primis viis collectae, venena ingesta (BOERHAAVE *in Praelect. Acad.* V. VI. p. 388. RHAN l. c.), & collica pictonum eas saepius excitant. Sic convulsionum & comatis, quibus

puella vexabatur, quibusque vitriolo albo, vomitus copiosos excitante, liberabatur, exemplum refert RIVERIUS (in Observat. pag. 329.). Perinde animi deliquia a colluvie impura primarum viarum & spasmis illic natis quandoque oboriri, probatione vix eget, cum experientia abunde doceat.

Aphonos interdum aegros reddi, si ventriculus ab aliquo humore laesus sit, memorat PROSP. ALPINUS. Porro & cephalalgiae caussa saepissime in primis viis quaerenda est. Referente enim Cel. RHAN (Diss. cit. §. IV. p. 7.) praeter obstructionem alvi inter frequentissimas cephalalgiae consensualis caussas ponenda est quaecunque vitiosa primarum viarum colluvies, quae nervos ventriculi & intestinorum irritat, sive tenax sit pituita, fluctuante suo motu his partibus molesta, sive acida saburra, sive acris corrupta bilis. Conf. GALENUS *Libr. de loc. affect.* HOFFMANNUS *in Oper.* T. II. p. 236. BIANCHI *Histor. hepat.* P. III. p. 511. BORELLUS *Histor. & Observ. rar. Phys. Med.* C. II. Obs. I.

C. PISO (Libr. *de morbis ex serosa colluv.* Obs. XIII.) historiam narrat virginis subita hemicrania, cum capitis in postica convulsione, tortura oris, maxillarum adstrictione, succedentibus manuum & brachiorum torporibus, affe-

ctae, quae vero, ubi vomitu biliosa multa secessissent, brevi convaluit. Eademque caussa, quae consensuales cephalalgias, congestiones versus caput saepe excitat, unde ophthalmiae frequentes & periodicae notatae (confr. MEDICUS *Geschicht. period. Krankh.* §. XIX. HOFFMANNUS *in Oper.* Tom. II. p. 618.) & haemorrhagiae visae sunt. TH. WILLIS (*Pharmac. ration.* P. II. S. II. Cap. II.) asserit, solam plethoram sive sanguinis acrimoniam rarò per se haemorrhagiam facere, sed spasmodicos insuper motus accedere, qui sanguinis impetum ad caput dirigant. MAYER (E. N. C. C. VI. Obs. 57.) exemplum narrat iuvenis narium haemorrhagiis obnoxii, qui frustra adhibitis suetis remediis tandem in haemoptysin incidit, qua vomitibus spontaneis biliosis & pituitosis liberatus est. In febre epidemica, quam haemorrhagiae narium comitabantur, purgantia lenia commendavit SYDENHAMUS (Oper. Tom. II. p. 42.) & ipse in puella quatuordecim annos nata haemorrhagiam narium observavi saepe revertentem, quae solis cessit remediis primas vias purgantibus & sordes corrigentibus. Quodsi vero, quae cardialgias, colicas, spasmos aliasque in abdomine turbas excitant, sordes primarum viarum acres, biliosae, congestiones & dictas encephali affectiones excitare valent, mirum non est, eas in

difpofito corpore apoplexiam inferre poffe. Ac hac de re eo minus quidem dubitandum eft, cum ex cauffis, fymptomatibus & ipfis apoplexiae prodromis pateat. Plerumque enim frequens indigeftio, vomitus fpontanei five pituitofi, five biliofi, urinae turbidae, refpiratio faepe molefta aliaque huius generis vitia apoplexiam praecedunt. Tandem & curatio ulterius fententiam meam confirmat; notum eft enim, emetica interdum, faepius vero purgantia adhibita, maximam ad hunc morbum debellandum utilitatem attuliffe.

§. V.

Continuatio.

Minime igitur dubium eft, a bile & aliis primarum viarum fordibus apoplexiam nafci poffe, paullo vero difficilius dictu eft, quomodo oriatur. Lenta plerumque initia huius mali funt, donec infultus apoplecticus verus oriatur, ideoque verofimillima videtur fententia SCHROEDERI (Diff. cit. p. 36.) a vitiis iftis hypochondriorum varia in encephalo nafci poffe vitia, quae apoplexiam deinde accelerent. Verba vero viri huius funt: verum etfi negari nequeat, talem fubinde cauffam fub cranio vere repertam

esse, quae premendo nobiliorem aliquam encephali partem apoplexiam omnino efficere potuerit, huiusmodi tamen observatis eam haud refelli existimo sententiam, quae multam hypochondriis vitiatis potestatem ad producendam apoplexiam tribuit. Neminem enim artis nostrae vel mediocriter peritum latet, quam saepe ex impeditiori humorum per hypochondriaca viscera progressu, ex perturbatis, quae chylopoiesis postulat, secretionibus & ex collectis crudis & acribus ad praecordia humoribus, biliosaque praesertim colluvie, congestio sanguinis atque seri ad caput excitari soleat. Ideoque nec improbabile videtur, originem graviorum, quae in capitibus apoplecticorum reperta sunt, vitiorum ex diutius perseverante viscerum hypochondriacorum alienata conditione saepe repetendam esse. Eo vero minus hac de re quis dubitare poterit, qui & animum ad varia memorabiliora vitia, in hypochondriis apoplecticorum per sectiones cadaverum haud infrequenter detecta probe adverterit. Quae si vera sunt, patet, huic ad apoplexiam dispositioni modo occasionalem quandam caussam supervenire debere, ut illico attonitus morbus excitetur. Iam vero si sordes in primis viis praesertim biliosae & acres colligantur, manifestum est, has sufficere, apoplexiae inferendae. Paullo ante enim docui, sordes acri-

monia aut copia peccantes in primis viis, spasmos abdominales inferre posse, qui si validiores sint, congestiones sanguinis versus caput excitabunt.

Praeclare enim FR. HOFFMANNUS (l. c. Tom. III.) quo maior est, inquit, spasmorum, qui, vasa coarctant, vehementia, & quo latius illi sese diffundunt, atque ad ampliora vasa exporriguntur, eo copiosior & impetuosior ad alias & remotas partes fit sanguinis appulsio, translatio & congestio. Fac vero ex stimulo & irritatione sordium acrium ac quasi rodentium biliosarum adesse spasmos in abdomine & inde sanguinem validius & subito propelli ad encephalum, vasa sane encephali hinc distendi rumpique poterunt, & hae ratione apoplexia oriri. Quae quidem licet valde probabilia videantur, multa tamen explicatu difficilia remanent, praesertim quod in multis aegris haec apoplexia species tam cito oriatur, interdum etiam sine ullis prodromis, & assentio ideo libenter Cl. LENTINO, qui, latet, inquit, inter illa mysteria naturae, quae mortalium nemo introspexit.

S. VI.

§. VI.

De diagnosi & prognosi.

Restat, ut prius, quam curationem morbi huius aggrediamur, paucis ea expediamus, quae ad diagnosin & prognosin spectant. Novimus vero hunc morbum infantes, omnem aetatem & sexum praecoci morte trucidare, medias inter epulas subque somnum ubivis e medio tollere (LENTIN l. c. p. 133. *Histoir. & Mem. de l' Acad. Roy. des Sc.* A. 1728. p. 524. 553.); apoplecticos tamen maxime fieri aetate provectiores ab anno quadragesimo usque ad sexagesimum (HIPPOCRATES Aphor. Sect. VI. Aph. 57.). Plethoricos porro, succi plenos, ad iram, terrorem, ad omnem animi commotionem pronos, mares prae foeminis, virilem & senilem aetatem magis quam iuniorem aggreditur (LENTIN l. c.). Asthmatici etiam, cachectici, hysterica & hypochondriaca affectione correpti, nec non ii, qui narium haemorrhagias saepe experiuntur, obesi, voraces, desides, collo breviori & obeso, capite amplo, facie oculisque saepius rubentibus praediti ad apoplexiam proclives sunt. Frequentius ab epulis & noctu & mense Decembri invasionem facit morbus (LENTIN l. c.). Torpores & stupores praeter con-

fueiudinem evenientes, futuram apoplexiam denunciant. Nam illi ex mente HIPPOCRATIS (Coac. §. 476.) notant, effusionem quandam extra vasa & contractionem fieri per vices. Refrigerationes & torpores pessimi sunt illis, qui in apoplexiam vergunt; pessimum est praesagium, si tales homines etiam incidunt in summam debilitatem. Quibus arteria pulsat fortiter in hypochondrio sinistro circa splenem, obnoxii sunt convulsioni, epilepsiae, apoplexiae, maniae, insaniae. Praesens apoplexia maxime metuenda est in senibus & in iis, qui nimiis studiis & nimia venere, aliisque caussis delilitantibus debilitati sunt (HEISTER Diss. cit. §. VII.). Sine singulari encephali irritabilitate fere nunquam apoplexiam fieri, tot tantaque capitis & nervorum mala diu ante praecedentia manifeste docent. Haec debilitas aliquando nativa esse videtur, indeque certis familiis fatalis morbus deprehenditur (VOGEL de cogn. & curand. C. H. affect. §. 560.). Hiems & autumnus morbo opportunissimi sunt, ubi caelum nubilum, humidum atque frigidum existit, aut intemperies calida & humida subito algidam excipit & vicissim (VOGEL l. c.). Qui ab apoplexia liberati, postea levi de caussa & sine occasione lacrymantur ac moerent, malum hoc est & recidivam vocat; idem extimescendum est,

si prius correpti, denuo vertiginosi fiant (BAGLIV. Opp.).

Qui saepe patiuntur resolutiones sine manifesta caussa, subito moriuntur apoplectici. Solvere apoplexiam vehementem, quidem impossibile, debilem vero non facile (HIPPOCRATES Aphor. Sect. II. Aphor. 42.).

In exquisita apoplexia raro septimum diem transeunt (BOERHAAVE Aphorism.). Symptomatica v. g. ex arthritide retrograda, ventriculo, pluries & facilius curatur quam idiopathica (C. AURELIANUS). Lenior apoplexia solvitur superveniente sudore multo, aequabili, rorido, calido, levante; urina multa, crassa; haemorrhoidibus largis diu fluentibus; fluxu menstruo restituto, alvi fluxu, febre maligna. Paullo gravior, superata caussa, solet degenerare in paralysin alicuius partis musculosae, totius lateris unius vel omnium cervici suppositarum, quae raro curatur, semperque memoriae, iudicii motuumque laesiones relinquit; unde soporosi, hebetes, tremuli, vertiginosi, pusillanimes, remanere solent (BOERHAAVE l. c.). Febris apoplexiae se adiungens, eam mox solvit, mox auget. Sic febris exacerbationes, novum semper paroxysmum afferunt ad diem usque decimum quartum. Salutis spes est, si intra viginti quatuor horas respiratio fit liberior, sin

minus & si pulsus sensim magnitudine crescit, brevi moriuntur. Salus porro exspectanda, ubi post venae sectionem & congrua auxilia intra viginti quatuor horas sequitur levamen & symptomata remittunt; facies nempe apparet magis naturalis, respiratio fit liberior, non valde inordinata, non admodum violenta est, ac pulsus bene se habet; ubi lotio iniecta intra horae spatium redditur; si lacrymae ex oculis bene coloratae; si salivatio multa instat; ubi mucus e naribus fluit; si aeger sternutat; ubi morbus in paralysin degenerare incipit; si sumpta pocula non per nares aut os refunduntur, sed penitus descendunt; si acriter vellicatus palpebras movet & labia quodammodo comprimit; si partes quaedam errante subsultu agitantur (HOFFMANN M. R. S.). Raro apoplectici evadunt sine partis alicuius resolutione.

Haut inanis metus est, alterum insultum necaturum esse, quem prior demiserat (LENTIN l. c.). Nam qui semel apoplexia correpti fuere, rarissime alio decuscunt e vita morbo, quam huius recursu vehementiore.

Quo magis stertor aegros vexat, eo peius se habent. Hinc signum pessimum est, si, qui initio non adfuerat, stertor accedit. Mali etiam ominis signum est; si diductis palpebris pupilla valde dilatata apparet & admissa luce non omni-

no contrahitur. Nam ex mente RHODII gutta ferena apoplexiae fuperveniens fignum plerumque mortis, certe vehementiae morbi eft. Perinde raras fanguinis e naribus guttulas vel etiam aliarum haemorrhagiarum veftigia parva periculofa & lethalia cenfent. Malum quoque omen eft, fi urina & ftercora clam elabuntur. Actum denique de aegro eft, fi fpuma ante os, frigidus fudor in fuperioribus guttatim haeret, fi refpiratio frigida eft & convulfivi motus in uno latere oriuntur. Vere exftincti etiam habendi funt, fi ferro candente ad plantam pedis applicato aut incenfa cera figillata, & ad varias corporis partes delapfa ad fe non redeunt. Non facile vero apoplexia celerem & fubitaneam mortem infert, nifi e morbo quodam diuturno nata eft. Tametfi & ifti attonito morbo cito exftinguantur, qui citra gravem aliquem morbum derepente ac praeter rationem ad excernenda ftercora impelluntur. Si delirium apoplexiae fe adiungit, non femper fignum lethale habendum eft.

Hanc quod attinet apoplexiae fpeciem, quam pertractavi, fcire licet, eam praefagiri vitiis hypochondriorum variis, indigeftionibus, vomitibus fpontaneis ac diarrhoeis biliofis, cardialgiis, habitu icterode & aliis fordium in primis viis fignis, nec non nimia fenfibilitate & irritabilitate, vertigine faepius recurrente, uti

& variis paralytodeis affectionibus. Autumno, qui biliosis morbis favet, solito frequentior esse solet, & praesertim homines in aetate virili constitutos, & hypochondriaca & hysterica affectione laborantes corripit. Funesta aeque solet esse ac reliquae apoplexiae species, nisi mox idoneis artis auxiliis oppugnetur.

§. VII.

De curatione morbi.

Nihil nunc superest, nisi ut quibus artis suppetiis hic morbus oppugnandus sit, breviter exponam. Mihi quidem in hac temporis ad scribendam hanc Dissertationem dati brevitate latius excurrere non licet, ut quae omnibus singulisque apoplexiae speciebus medela conveniat, fusius proponam. Sufficiat igitur, modo annotasse, caussis diversis curationem apoplexiae accommodandam esse, ut v. c. si a plethora & congestione sanguinis versus caput nata sit, quae sanguinem imminuant & ab encephalo derivent, adhibenda sint, scilicet venae sectio universalis & topica, pediluvia tepida, epithemata frigida capiti applicanda; aut si a compressione quadam vel extravasatione, vel excrescentia, aliove cranii vitio orta sit, auxiliis idoneis huius

generis vitia removeantur & fic in caeteris ab aliis cauffis proficifcentibus apoplexiae fpeciebus rectae medendi rationes eligantur. At fi a biliofa colluvie intra praecordia haerente attonitus morbus obortus fit, quae fequitur medela ipfi opponenda eft.

Cum vero tota curatio in recta morbi cognitione nitatur, breviter nunc inquiramus, quibus fignis haec apoplexiae fpecies cognofcatur, & quomodo ab aliis diftinguenda fit. Facili vero negotio eam eruemus, fi ad ftatum aegri praegreffum & praefentem rite attendamus. Quodfi enim hypochondriaca aut hyfterica affectione ifte laboravit, fi anorexia, naufea aliifque debilioris ventriculi aut fordium primarum viarum fymptomatibus faepius adflictus, fi perturbatarum functionum vifcerum abdominalium figna frequentius notata funt, fi irritabili fenfilique corpore praeditus eft; deinde fi inter epulas aut poft iram infultus apoplecticus acceffit; fi naufea, borborygmi, cardialgia &c. iftum praecefferint, fi habitus icterodes, lingua fordibus obducta, fimiliaque notentur, dubium plane nullum eft, quin apoplexia haec a praecordiis originem traxerit.

Duplicem vero is morbus curationem admittit, unam, qua infultus apoplecticus praefens arcetur; alteram, qua imminens avertitur. Quod

priorem attinet, quae durante insultu auxilium affert & ipsum mitigat, sciendum est, aegrum apoplecticum lecto statim imponendum esse, omnibus exutum vestibus, ne circulatio minimo etiam impedimento inde gravetur. Caput altiore loco ponendum est, ne congestiones augeantur. Deinde necesse est, ut venae sectio, si rationes iustae eam postulent, illico instituatur. Biliosi quidem raro sanguine abundant, nihilominus tamen in plerisque casibus, venae sectio necessaria erit, ut alia artis auxilia tuto adhiberi possint. Epithemata deinde frigida, quae iustis laudibus Auctorum summorum & testimoniis nixus commendavit Exper. DAUTER (Diss. de usu aquae frigidae externo topico. Goettingae 1780.) Amicus integerrimus, capiti imponenda sunt, embrocationes vero oleosae abdomini, cui etiam cucurbitulae siccae applicari possunt. Clysmata quam primum etiam oleosa, antispasmodica ingerenda sunt, vel iis etiam pro re nata stimulus ex sale admixto addi potest.

Levato hac ratione primo apoplectico insultu de removenda caussa mature cogitandum est, ne si haec perduret, vehementior insultus oriatur. In hac apoplexiae specie sordes in primis viis & spasmi inde nati caussa arguendi sunt; itaque ista acris materies diluenda, obvolvenda, atque cito sive per os, sive per alvum extur-

banda eſt . HIPPOCRATES (*de morb.* L. III. C. 3. 7.), iam iam ſuadet, ut enema, quod bilem vehementer ducat, & quae vomitum & alvum movent, in attonito morbo adhibeantur, quemadmodum etiam SYDENHAMUS (Oper. Tom. I. p. 517.) praemiſſa venae ſectione emetica & purgantia dedit, & BAGLIVUS (Oper. P. III.) apoplexiam recidivam vomitorio dato avertit. Praeclara autem ſunt, quae de uſu vomitoriorum & purgantium retulit Cel. RHAN (Diſſ. cit.) ita vero loquitur : ſi optimos quoſque Medicos conſulas, nullum facile invenies, qui vomitoriorum & purgantium uſum in quibuſdam apoplexiis interdicat ; licet pauci ex ſordibus inteſtinalibus illorum remediorum indicantia depromant, ſed potius ad cerebri idiopathicam affectionem ex ſeroſa nimirum vel pituitoſa colluvie, reſpiciant. Pergit vir doctiſſimus : non ad me pertinet, de uſu vel noxa vomitoriorum in apoplexiis ab idiopathica cauſſa productis diſſerere vel fuſius demonſtrare, quod incerta ſit, quae a ſanguinis vel ſeri in cerebro ſtaſi vel extravaſatione ſumitur emeticorum indicatio vel contraindicatio, exemplisque ex BONETI, MORGAGNI, LIEUTAUD, adverſariis oſtendere, in multis, quos ſanguinea apoplexia demortuos fuiſſe crediviſſes, pellucidum ſerum vel pituitam ſine ulla ſanguinis extravaſatione inter cerebri

membranas, anfractus, cavitates, repertum fuisse, & contraria in oppositis, in aliis unum ventriculum sero turgidum, alterum cruore repletum fuisse; sed id monemus, vomitoria, purgantia, clysteres, tunc semper & egregie convenire, ubi certa signa adsunt vitiosorum, acrium in primis viis contentorum humorum, qui non minus ac venena, cruditates ex cibis, vermes, uti quoscunque capitis morbos, sic apoplecticos insultus excitare valent; neque tunc ad eos tantum casus adstringenda esse, in quibus sanguineae congestionis ad caput signa desunt, sed etiam in iis locum habere, quibus facies rubet, extrema calent, totus corporis habitus viget; cum ipsum illum calorem, turgentem saepissime ex intestinali colluvie produci & foveri videamus, licet in hisce negligi nunquam oporteat, praesentem plethoram, congestiones, efficacissime & citissime ante & iuxta primarum viarum evacuationem tollere, minuere, ne vel antequam veram caussam removere licuerit, sponte vel per auctam illam vasorum agitationem & congestiones, quas vomitoria producunt, consensualis morbus idiopathicus fiat.

Exstant exempla, ubi per sola vomitoria, post venae sectionem largam adhibita, non solum insultus praesens, sed recidivae etiam aversae sunt. Sic in *Commerc. Noric.* (Ann. 1739.

p. 366.) narratur exemplum ; ubi virgo suppressione menstruorum & vitiis hypochondriorum ex aliquo tempore laborans subito corripiebatur apoplexia, qua vero ope clysterum, & vomitoriorum intra breve temporis spatium liberata est. Cel. NICOLAI (Diss. *de direct. vasor.* in HALLERI *Diss. Anat.* T. II.) historiam affert senis cuiusdam, vegeto corpore & cholerico temperamento praediti, & apoplexia correpti, qui, cum post praemissam venae sectionem largiorem tartari emetici dosin sumpsisset, ingentem pituitosae materiae & bilis copiam evomuit & convaluit. Rediere in hoc post aliquot menses huius morbi prodromi, cum signis colluviei pituitosae; verum emetica insultum imminentem apoplecticum averterunt. Sciendum vero est, ex emeticis tunc potissimum antimonialia eligenda, in purgantibus vero salia, maxime anglicanum, sedlicense & Glauberi, eaque sufficiente largiori dosi exhibenda esse, quoniam vis nervorum ventriculi & intestinorum in hoc morbo torpet. Quae si sola vomitoria & purgantia non sufficiant debellando morbo, antispasmodica in usum vocari possunt. Laudem hic merentur emetica refracta dosi exhibita, quae eximiam virtutem antispasmodicam possident, ut docte nuper demonstravit Exper. C. A. MEYER (*Diss. de eximia ipecacuanhae nec non aliorum quorun-*

dam emeticorum refracta dosi exhibitor. usu. Goetting. 1780.) Amicus noster. Multa hoc in morbo antispasmodica exhiberi non possunt, quoniam exaestuant. Cel. LENTINUS (l. c. p. 135.) ideo commendat decoctum radicis valerianae maioris, florum chamomillae, in quo sal ammoniacum depuratum & castoreum optimum dissolutum sit, & hanc medicinam cochleatim exhibet. Castoreum enim orgasmum sanguinis non inferre, aut aestum movere, patet ex ALEXANDRI (Experimental. Essays Lond. 1768.) experimentis, qui scilicet ipse pondus drachmarum trium castorei ingessit, nec calorem naturalem augeri sensit. Eiusmodi antispasmodica clysteribus addi possunt, qui quidem saepius repetendi sunt, non omissis pediluviis tepidis, minime vero calidis, semicupiis, embrocationibus oleosis abdomini imponendis.

Quodsi emetico dato sordes primarum viarum nondum satis expurgatae sunt, iis ulterius insistendum est, quae alvum purgant.

Diaeta requiritur tenuissima, eaque omnia in victu, quae cruditates aut sordes generare, aut exaestuare possent, vitanda sunt. Contraria ex parte conducunt cibi obvolventes, diluentes, quique alvum laxam inducunt, & bilem corrigunt.

Si quae remanent paralyses, aut febris ori-

tur ; pro diverſa , quae iis competit , medendi ratione , abigendae ſunt.

Quod reliquum eſt pauca his addere liceat, de uſu excitantium remediorum, tam internorum quam externorum , quae olim frequentius adhibebantur . Sine dubio haec in multis caſibus plus nocent , quam proſunt ; exſtimulant enim nervos , congeſtiones verſus caput augent , & alias noxas inferunt . Si quis igitur ea in uſum vocare velit ; magna cum cautione adhibeat , neceſſe eſt . Optima ex iis , quae interne propinantur , ſunt liquor C. C. ſuccinat. ſpiritus tartar. rectiſ. vel ſal volatile C. C. cum aqua menthae , tinctura roſar. vel eſſent. pimpinellae mixtum , quae guttatim adhibentur . Inter externa vero notiſſima ſunt ſpiritus ſalis ammoniaci vinoſ. ſal volatile oleoſum ſylvii , vel ſal ammoniacum cum ſale tartari mixtum & ſimilia.

Veſicatoria huic pariter claſſi remediorum adnumeranda ſunt , quorum providum uſum Cel. LENTINUS (l. c. p. 136.) ſequentibus inculcavit verbis : veſicantium uſum ſua cuiuſvis aegri conſtitutio determinet . Nec haec quidem indiſcriminatim, nec ſtatim ab initio adhibenda eſſe, non poſſum non monere.

Pari modo non ſine circumſpectione clyſteres valde irritantes adhibendi ſunt , qui in hac apoplexiae ſpecie , ubi ſpaſmi plerumque abdominales praeſto ſunt , valde nocere poſſunt.

DE

MORBIS PECUDUM A MEDENTIBUS NEQUAQUAM PRAETERVIDENDIS,

DISCURSUS ACADEMICUS

Quem die I. Maii 1790. recitavit
Ticini Reg.

IOANN. PETR. FRANK

R. & A. M. a Consiliis Gubern. Mediolan. Facult. Med. per Insubriam Austr. Praeses, Medicinae Pract. & Clinices Prof. P. & O. &c.

D E

MORBIS PECUDUM A MEDENTIBUS NEQUAQUAM PRAETERVIDENDIS.

PArtium humani corporis usus & structura intima, RECTOR MAGNIFICE, PATRES SAPIENTISSIMI, COMMILITONES OPTIMI! nisi ad illa, quae in diversis animalium speciebus contingunt, simul respiciatur, vix unquam a Physiologis rectius cognoscuntur. Idem vero de *Pathologiae* studio dicendum esse mihi firmiter persuadeo: ut quod ex partium morbosarum in diversis animalibus observatione, fructus non minores, quam a *Physiologia comparata* obtinentur, medentibus promitteret, si attentionem *arti veterinariae* maiorem adhibere, & pecudes vi morbi enectas sollicite incidere vellemus. Quemadmodum enim ex ipsa functionum apud quaevis animalia laesione, ex caussarum eidem subiacentium ratione & effectu, organorum actio generalis & specifica quamplurimum illustratur: sic & morborum generatio, symptomata essentialia, & illorum cum humanis affinitas, differentia, quam proxime inspiciuntur. Non vero

illam tantum Medicinae partem; quae morbis internis medetur, hoc ex fonte quamplurima posse haurire, certum est; sed & *Chirurgiae*, si animalium morbis attentionem, quam merentur, largiri non erubesceret, amplissima seges foret exspectanda. Certe cum plurima animalium cadavera, ad intelligendam morbi lethalis naturam, incidendi occasionem nunquam amisissem, non pauca oculis meis oblata fuerunt, quae morborum quorumvis humanorum sedem, caussas & effectus egregie explicabant, & quae tam *Pathologiae animalis* cum humana a Medicis combinandae necessitatem, quam *artis veterinariae* summam in utriusque Medicinae studio utilitatem ostendebant. Variae quidem ex communioribus homini adfectionibus, caeteris animantibus aut propriae non sunt, aut rariores esse consueverunt; certi vero morbi certis tantummodo animalium speciebus proprii esse observantur; nec eadem caussarum omnium in Creaturas specie & natura diversas actio est. Sed haec ipsa tum caussarum, tum effectuum differentia, quam plurima laesae naturae phaenomena explicat, atque salutarem scientiam certiorem reddit & eximie illustrat. Sic cordis morbi, aneurisma praecipue, sic apoplexia, melancholia, mania, sic nervorum adfectiones quamplurimae, hominibus, passionum violentia continuo agitatis, frequentiora omnino, quam

ulli animalium ſpeciei, obſervantur: atque hoc ſolum humanae mentis in corporis organa influxum vehementem & ſingulares effectus demonſtrat. Vermium apud homines originem ex victu animali, praecipue piſcium, quondam derivabant; ſed cauta animalium ſectio docuit, vermes cuivis fere viventium ſpeciei ſuos eſſe, atque illos hominum, non minus, quam ipſa, quae hoſpitibus infeſtis domicilium praebent, animalia, ab homine differre. In humano cerebro vermes naſci, veteres quibus certe coagulabilis, vermiſque in formam concreta impoſuit lympha, confidenter aſſerebant; ſed riſum antiquitatis credulitas movere ceſſavit, poſtquam in ovium, giratorio morbo captarum, cerebro, atque, vix ante hunc annum, ad ipſum adeo humani cerebri plexum choroideum, Taenias hydatigenas detexerunt (*).

Haec autem, & quae alia ex animalium morborum cadaverumque perluſtratione in Medicinam reſultant, quamplurima emolumenta, fecerunt, ut, cum hac in ampliſſima Academia, de nova, atque temporum rationi accommodata magis ſcientiam ſalutarem docendi ratione quae-

(*) I. C. FISCHER Hiſtoria Taeniae hydatigenae in plexu choroideo inventae. Lipſiae 1789.

ſtio mihi proponeretur, *veterinariae* ſimul *Scholae* in eadem erigendae deſiderium non reticuerim, atque vehementer optaverim, ut animalium domeſticorum, quorum ſcilicet tanta in colendo Reipublicae agro eſt neceſſitas, in propriis Noſocomiis curandorum, atque cadaverum aperiendorum copia Studentibus concederetur. Donec igitur & haec tam deſiderata nobis occaſio in maiores artis progreſſus aperiatur, AUDITORES SAPIENTISSIMI! ſufficit mihi attentionem veſtram, circa humani corporis paſſiones tam egregie occupatam, in morbos etiam animalium caeterorum convertere, voſque, ne hanc etiam diſcendi, voſque ſocietatibus utiliores reddendi viam in artis veſtrae exercitio deſpiciatis, paucis exemplis excitare.

Quemadmodum vero domeſticorum animalium morbi, rectaque eorundem curandorum ratio obiectum ſiſtunt Medicorum attentione digniſſimum: ſic & partus apud haec ipſa ſecundandi ſcientia non minoris dignitatis eſſe poteſt. Quamvis enim animalem, quam humanam apud feminam, rarior, ex cauſſis certe phyſicis, eſſe ſoleat enitendi foetus difficultas; occurrunt tamen hinc inde partus, vel ſumme ardui, vel etiam impoſſibilis, in caeteris animantibus exempla: quorum numerus, ex eo, quod paſtorum fabrorumque manibus res tota committatur, ubicun-

que augetur. Atqui ex praeconcepta hominum opinione factum est, ut in assistentia, quae domesticis animalibus praestatur, vile quid, & viro aut Medico, aut Chirurgo indignum esse, contenderetur; & certe, ubi humana nequidem curatur parturiens, de animalibus hoc in momento sublevandis cogitari nemo facile exspectabit. Ast vero, quem reflectere non pigebit, familiae pauperioris & rusticae sustentationem saepe ab unius animalis conservatione penitus dependere; - qui mente revolverit, Theoriam partus humani, per illam alterius animalis, non parum posse illustrari; - qui denique, quod utile est Reipublicae, hoc turpe vocare noluerit; fatebitur is omnino, laudandam esse illorum operam, qui, meliori corporis animalis cognitione instructi, consilia saltem non denegant, quae apud fideles hominum amicos laborumque socios, animalia domestica, feliciorem partus exitum promovere queant, Obstetricem in sublevandis parturientibus eximie versatam recordor a paupercula femina, cui multoties in partu feliciter adstiterat, noctis tempore fuisse accersitam, ut parturienti *Vaccae*, unico scilicet, & periclitanti familiae subsidio, succurreret. Assistentiam non recusat nobilis animo femina, &, quod pastores fabrique non poterant, solius manus beneficio praestat auxilium. Heus, quanta mox

urbanas apud mulieres scandala! quanta Obstetricum aliarum, invidiam sinu recondentium, clamores, & obtrectatio! sed quietam esse humanitatis plenam iussi feminam & qua potui auctoritate defendi, remunerari curavi. Ignorantia est, &, quam haec generare consuevit, superbia hominum est, quae servitii a domesticis animalibus quotidie nobis praestandi tam ingrato animo oblivisci, omnemque indigentibus opem recusare iubeat; nec originem nobiliorem agnoscit Medicorum animi indifferentia, qui, cum ex morborum animantibus propriorum consideratione, vel ex cadaverum eorum diligenti scrutinio fructum haurire possent, ob vanas hominum opiniones eundem negligere, & in propriae detrimentum scientiae recusare malunt. Superest igitur, ut, quae huic sermoni occasionem dederunt, pauca exempla breviter adducam, quibus ad aliorum, nemini difficilem, collectionem, quemvis ex vobis excitare queam.

In Equaria, quae Principis Spirensis sumptibus magnis Altenburgae erecta fuit, Equa, plurium mulorum, forma & altitudine celebrium, speciosa mater, partus doloribus mense Martio 1774. invaditur; sed pullum, cuius nec pedes anteriores, nec caput, tactui se sistunt, eniti non potest. Peroriga servique equarii referunt e membranam praeternaturalem esse, quae partum

praepediat, & consilium a me petunt: Dubitavi mox, uterum animalis oblique positum, pro membrana ignaris hominibus imposuisse, & post aliquod tempus, cum paullo adcuratius observationem institui exoptassem, Equariam ipsemet adivi. Interim Obstetricantes membranam, quam adesse pertinaciter defenderant, secuerunt, lacerarunt, atque pullum iam exanimem utero extraxerunt. Sequebatur mox haemorrhagia lethalis, & antequam ad locum ipsum pervenissem, vitam efflaverat equina parturiens.

Sectionem igitur cadaveris institui. Mox vero & vaginam, & dextram uteri partem larga admodum apertura perforatas, per quam scilicet ipse pullus extractus fuerat, inveni. Os uteri ad sinistram pelvis partem conversum, ipse vero saccus uterinus, quoad maximam sui corporis molem, super ileo osse collocatus erat. In hac igitur tam obliqua uteri positione, exclusio foetus equini protinus impediebatur; ipse vero, quo hic latuerat, saccus, in pelvim adeo coactus erat, ut propulsa per eundem atque extensa vaginae portione, manui ad ipsum os uteri accessus tandem negaretur, atque tum huius, tum vaginae paries, pro membrana praeternaturali habita, temerario ausu fuerit perforata.

Alter casus acutissimum Equi admissarii morbum concernit. Die nempe sexta mensis Septem-

bris 1783. cum pretiosissimum hoc, & inter quinque sibi similia, forte sanissimum, animal, Principis, non longo itinere, currum duceret, magnos & repetitos clamores edidit, in terram, quasi convulsus concidit, surrexit, & mox in alterum denuo latus sese proiecit; exsiliit iterum, cum strepitu graviterque respiravit, pedem vero ex posterioribus dextrum continuo extendit, paucasque eiulans urinae guttulas expressit. Catheter mox vesicae immissus, clyster emolliens, anodynus, iniectus, & fomentationes ventri fuerunt superimpositae. Sitim, vel conatum vomendi animal aegrum nunquam manifestans, secunda iam morbi die exspiravit.

Aperto cadavere, vidi parvam intestini portionem per dextrum abdominalem annulum prolapsam, & ad gangraenam usque strangulatam fuisse, quin tumor pridem conspicuus herniam latere docuisset.

Tertia denique observatio Equi non minoris pretii castrationem respicit. Priusquam haec operatio suscipiatur, in usu est, ut qui eandem instituere assumit, de pretio animalis cum ipso eius domino conveniat, & hoc idem, si curatio infelicem habuerit exitum, possessori exsolvat; si vero sanitas restituatur: lucrum exposito animalis respondens pretio repetere possit. Cum ergo, inito sic pacto, castrationi semet accincturum esse

Equorum Chirurgum conſpicerem ; examinato animalis ſtatu, certus eſſe potui, cirſocelem, ſeu magnam venarum ſpermaticarum varicoſitatem per totam funiculi longitudinem ſubeſſe : quod me, de operationis felici exitu dubitantem, induxit, ut eius pericula rudiori Chirurgo patefacerem. Aſt vero experientiae hic ſuae innixus, feliciorem, ſimulque veriorem prognoſin inſtruxit. Methodus operationis fuit ſequens. Proiecto nempe ſuper ſtramina valentis Equi corpore, ſcrotum utrinque aperiebatur ; funiculus ſpermaticus ex integumentis avulſus, duobus bacillis, ex uno latere in longum excavatis, ligneis, fermento panis, cui pulvis quidam eſcharoticus inſtratus erat, repletis, committebatur. Bacillis vero nunc filo fortiori ad utrumque extremum quam maxime conſtrictis, infra haec ipſa Chirurgus teſticulum ſectione abſtulit ; integumenta ad internam ſuperficiem hinc inde ſcarificavit, cum aqua frigidiori, poſtea cum ſpiritu vini abluit ; ſcrotum ab aere cuſtodivit, praeputio vero ampliſſimo, & veretro, maiorem unguenti de lithargyrio portionem interpoſuit, & ſic brevi tempore, Equum, ſine ullo periculoſo ſymptomate, perfecte ſanavit. Hic vero communiſſimus Equos caſtrandi modus eſt, ex quo, licet quamplurimos, etiam adultos, eidem ſubmiſſos viderem, vix tamen unum occubuiſſe recordor.

Sic non desunt ausus in *arte veterinaria* exspectatione nostra feliciores, quos oculo prosequi, quemcunque observatorem Medicum vel Chirurgum omnino iuvaret. Licet enim maior humani corporis sensibilitas rudiorem partium tractationem, quam bestiae sat bene perferunt, admittere vix posse videatur; est tamen virium naturae similis in omni animali machina conspiratio, nec earundem limites, nisi felici experimento, cognoscimus. Certe quae hydrocephali apud vitulos, bovesque per calvariae perforationem, curandi exempla prostant (*), licet hucusque non nisi paucissimis apud hominem casibus confirmata (**), - quae in iisdem animalibus, a

(*) Vid. WEPFER de Apoplexia p. 54.

(**) Ab ipso tamen HIPPOCRATE commendata fuit operatio: ,, Aqua, si *in cerebro* suborta fuerit, ita tamen, ut in adulto secus sano contingat; adhibitis medicamentis si non sanetur, caput ad cerebrum ipsum perforandum est. " Lib. II. de morb. Edit. Foes. T. I. p. 466. 30. Apud FANTONUM, rusticus diuturni, saevissimique doloris capitis impatiens, cuius origo a sero cranium inter & duram meningem concluso repetebatur, veterinarium coegit, sibi sinciput perterebrare: unde seri copia exsiliente, prorsus convaluit. *Opusc. Med. & Physiolog.* Perforationem bis cum apparente successu instituit DE REMMET; a tertia tandem mors fuit insecuta, cerebro nimirum iam plurimum consumpto. Medical Commentaries. Vol. I.

flatulentis vegetabilibus nimia copia ingurgitatis pericula audaci abdominis, atque ipsius adeo ventriculi punctura avertuntur, ea, spem in nobis aliquam erigere possunt, in desperatis hominum, sub iisdem circumstantiis constitutorum, positionibus, anceps nunc visum remedium cum maiori felicitate aliquando, cum nullum iam esse fateamur, posse tentari (*).

Sed in hoc etiam Medicorum in *artem veterinariam* maior attentio utilitatem promittit: quod, cum apud hominem multa remediorum in morbis subministratorum aut virtus, aut inefficacia, ex ipsa aegrotantis imaginatione dependens, in aliis animalibus locum habere non queat, sic longe certius quam in humano corpore de vera medicamentorum indole, habita tamen semper differentiae, quae hominem & animalia intercedit, ratione, iudicium ferri queat. Nec hoc quoque praetereundum hic est, experientiam saeculorum docuisse, epidemicas animantium strages, non raro pestilentium apud ipsos homines morborum praecursores egisse, & caussas malorum

---

(*) Suscepta interim bis & in homine fuit haec abdominis tympanitici punctio, a Cl. DUSSEAU, vid. Journal de Médec. année 1779. p. 308. Samml. auserlesener Abhandl. für prakt. Aerzte V. P. II. St. p. 241.

generales primum in bestias, & tandem in ipsas hominum societates, effectus deleterios exseruisse. Quare, qui cautum & in singula attentum morborum in diversis animalium speciebus observatorem egerit, is, vel imminentem ex caussis iisdem, aut etiam ex carnium vi morbi corruptarum victu orituram Reipublicae noxam praevidebit, & avertet; vel naturam morbi epidemici clarius agnoscet, & ex ipso nonnunquam remediorum apud animalia successu, ad perfectiorem prò ipso homine liberando, methodum concludet.

GEORG. MATTHAEI GATTENHOF

MED. PROF. HEIDELBERGENS.

ET

IOS. CHRIST. SCHNORR

PALATIN. BRETTENSIS

DISSERTATIO INAUG.

DE

PLETHORA

Heidelberg. 1779.

I.

De sanguinis usu in corpore animali non iam nobis repetenda sumimus momenta physiologica, quae abunde exhibuit (*) *Dissertatio de venae sectionis indicationibus*. Eum certe summum esse constat, quod primo fere in corpore animali nascatur (*a*); cum primis cordis in foetu initiis, pri-

(*) Vid. Delect. Opusc. Med. Vol. III. p. 133.
(*a*) FR. HOFFMANN. Med. Rat. syst. T. I. p. 81.

misque motibus adpareat; experim. HALLERI (a); queis cum iis fibrillarum, in cor compaginandarum motibus, flavedo primum, dein rubor in liquido nascitur (b).

II. Id ipsum naturae instrumentum est, quo motu adplicato, vasa sibi parat explicatque; quo fibrae solidae robur auget ac conservat, suo per vasa motu viscerum partiumque omnium actiones animat, chylum in sanguinem convertit, suamque ipse integritatem, determinatam densitatem, figuram, alias dotes, ad circulationem vitalem, actionis arteriosae vires modosque necessarias, perenni per vasa motu tuetur ac reparat.

III. Sed quod quantitatem eius naturalem in C. H. attinet; uti motu primo, motusque viribus nascitur, ita diversum corporis robur, vasorumque capacitatem sequitur, ut difficillime determinari possit: variis Cl. Virorum experimentis, quae collegit HALLERUS (c) alii 20. 30mam otius corporis partem; LOBBIUS (d) sanguinis per vasa maiora circulantis, quantitatem, totius ponderis corporis partem 19nam vel vigesimam; alii 10. 11. 12mam adsumpsere; ut in adulto

a) HALLER. Opusc. min. T. II. p. 369.
b) HALLER. l. c. p. 10. SPALANZANI Abhandl. p. 91.
c) HALLER. Elem. Phys. T. II. p. 2.
d) LOBB. Pract. Arzn.

homine alii octo libras; alii 27. cum QUESNAY, alii cum FR. HOFFMANNO 28. libras admittant, quae ratio ad mediocrem hominis molem est, ut 1. ad 5. Ingentem vero eius copiam esse, non tam ex solidorum ratione ad fluida immense minore, doceri potest, quam Physiologia statuit (*a*) in homine 133. librae; tantum 26tam partem solidam esse opinantur (*b*).

IV. Quae vero fluidorum massa non unico quidem sanguine, seu rubra fluidorum portione, sed ingenti fluidorum tenuiorum, quae in vasis minoribus, minimisque, cavisque variis cellulis continetur, consistit, aestimarique debet.

V. Sed maxime ingentes enormesque sanguinis iacturae per vulnera casusque alios factae, eam sanguinis copiam docent, atque eae subitae quidem; nam per lentas haemorrhagias immensa fere visa est haec iactura: alia haemorrhoidum, quotidie fere per plures annos fluentium vulgaria exempla sunt; sed & earum copiosissimarum, per quas totis continuis 62. diebus, quotidie librae sanguinis quinque fusae fuerint, exempla; alia fusi sanguinis per uterum successive, ut omni mense 125. unciae funderentur; alia creberrimae

(*a*) HALLER. not. BOERH. ad §. 440.
(*b*) PLATTNER Briefe.

venae sectionis, haemorrhagiae narium quotidiana exempla collegit HALLERUS (*a*). PECHLINUS (*b*) e vulnere thoracis ingentem quotidie sanguinis copiam fusam describit, ut aliam haemorrhagiam vidisse se, aut legisse maiorem haud meminerit, sanitate tamen sensim reddita; HILDANUS (*c*) haemorrhagiam umbilici describit, intra duos dies sensim ad libras 27. fusam, sanitati tamen restituto homine. Foeminam novi debilissimam, hystericam, pallidissimam, quae omni decimo quarto die per sex annos V. S. passa, ut ingens alias, certeque instans haemoptöe aut vomitus cruentus praecaveretur: foeminam nobilissimam novi, quae continuo dolore ardente sub hypochondrio sinistro vexata, nisi quotidie fere sanguinis congrumati frusta, pugnos viriles aequantia 3. 4. vel 5. ano egessisset. Miseranda foeminarum, accedente senio haec sors est, qua cessantium catameniorum epocha, eas sanguinis uterini iacturas fere quotidianas per aliquot annos ferunt, calamitosi uterini status carcinomatici indices; vidi eas, quae sensim duplum totius corporis pondus superarent. Quae certe immensa

---

(*a*) HALLER. l. c. p. 4. 5.
(*b*) PECHLINUS de vulnere thorac. Vol. II. HALL. Chir. p. 551.
(*c*) HILDANUS Obs. Chir. Cent. III. Obs. 37.

fere copia suppeditari nequisset, nisi magna sanguinis vis in vasorum systemate contineretur.

VI. Sed & evidentius fere in subitis illis sanguinis profusionibus argumentum est, uti haemorrhagiae narium visae sunt ad 10. 11. 15. 18. 22. 30. libras, uti exempla collegit HALLERUS (a); vomitus cruenti ad libras 16. exemplum BARTHOLINUS habet: sanguinis enormis vis vomitu reddita ad 15. 27. 30. 24. 18. & in eodem paroxysmo libras, ut summa amissi sanguinis esset libr. 202. neque tamen eo minus aeger convalesceret: alii haemopiöes copiosae ad libras 14. inter 24. horas, ad libras 22.: alii alibi fusi copiosissimi sanguinis exempla referunt, quin homines quidem omnes perierint (b).

VII. Ex quibus magnam certe sanguinis copiam in vasorum systemate contineri concludimus; namque nec illae copiae quidem sanguinis quantitatem definiunt; quae in vasis minoribus contenta, nec tam subito ad maiora vasa duci potest, atque vitae adhuc micas & sanitatis recuperandae spem fovet. Atque illud experimentis quoque cognitum, animal $\frac{2}{3}$ sanguinis iacturam

(a) HALLER. l. c. p. 4.
(b) Hist. morb. Vrat. p. 89.

ferre absque morte non posse (*a*), ut copia adeo semper restet sanguinis, si salutis spes superest.

VIII. Sed haec mira toties in variis variatio; pro robore corporis augeri eam quantitatem adnotat HALLERUS (*b*); indeque plus fero animali sanguinis, quam domestico inesse, experimenta docuerunt; atque in universum statuit HALLERUS (*c*), sanguinis pondus eandem rationem ad reliquum corpus obtinere, quam cor observat.

IX. Pro ratione amplitudinis vasorum; hinc in procerioribus corporibus adnotante HALESIO (*d*) maior sanguinis copia.

X. Pro dilatabilitate eius systematis, hinc foeminis maior copia, quam maribus, observante HALESIO (*e*), quibus robustior rigidiorque fibra colligendae sanguinis copiae resistit: dum foeminae per abortum ac partus, aliasque caussas ingentem sanguinis copiam, salva vita, amittere videntur, uti crebra observatione constat (*f*); easque potissimum huc refert SCHWENKE (*g*),

---

(*a*) HALLER. l. c. T. I. p. 494.
(*b*) HALLER. l. c. T. II. p. 57.
(*c*) HALLER. l. c. p. 6.
(*d*) HALES. Haemast. p. 21.
(*e*) HALES. l. c.
(*f*) Nov. act. N. C. v. IV. Obs. 36.
(*g*) SCHWENKE Haemat. p. 23.

quae macilentae, magnasque venas possident, quibus cor maius esset.

XI. Inde & iuniora animalia plus sanguinis habent, quam senex vetulumque (*a*); hinc recens nato homini cutis universa & ipsa cornea oculi tunica rubet; quae omnia sensim diminuta sanguinis portione, per aetatem exalbescunt: quorsum & haud dubie illa ratio cordis pertinet, quod in foetu insigni ratione maius & in infante etiam cor adulti superat (*b*) in proportione reliqui corporis; uti cor foetus maturioris ad cor adulti hominis visum est, uti 40. ad 24., in vitulo abortivo ad cor vaccae, uti 51. ad 37. dum in adulto vergenteque aetate, vires hominis & cordis portio minores fiunt.

XII. Licet vero cum sanguificationis, seu sanguinis conficiendi virtutem haud soli cordi deferendam esse existimemus, sed virium potius totius machinae animalis, actionis arteriosae per omnes partes, viscera quaelibet, praesertimque pulmones distributae, effectum esse, pluribus satque perspicuis argumentis Physiologia ostendat; liquet tamen experimentis in ovo incubato, pri-

---

(*a*) HALLER. l. c.
(*b*) HALLER. l. c. T. I. p. 430.

mis cordis motibus eum liquorem nafci, quem fanguinem dicimus.

XIII. Rectiffime adeo ex copiofis fuis experimentis eo in argumento inftitutis, concludit ROBINSON, in univerfum habitum athleticum effe, ubicunque cor ad reliquum animale corpus maximam rationem habet; unde fanguinis probi copia; inde nutritionis vires roburque corporis pendet.

XIV. Quantumcunque vero haec certa fatis, fuis in experimentis fundata, fanae Phyfiologiae praeceptis nitantur; fuis tamen in fignis fallacia toties, obfcura dubiaque funt. Quoties enim vero praedicari audias athletam, ipfifque a Medicis falutari, qui torofo obefoque corpore nutritionis molem oftentat, roburque etiam corporis, dum a iuventutis vigore vires fuppetunt, exhibent, fed quantum ab ea forma fallaciae?

XV. In obefis minus certe fanguinis; quo plus in corpore adipis eft, eo minorem procul dubio fanguinis portionem effe, teftatur HALLERUS (*a*); adnotat idem HALESIUS (*b*), itidem SCHWENKE (*c*) aliique; dum & cellulofa, mole liquidi oleofi gelatinofique turgida,

(*a*) HALLER. l. c. T. II. p. 6.
(*b*) HALES. l. c. p. 32.
(*c*) SCHWENKE l. c. p. 102.

vasa sanguifera ubivis pressione angustiora reddit, minusque ad sanguinis copiam capacia; & corporis ea fabrica viribus destituta videtur, quae sufficiant chylo, ex adsumptis parato, in probi sanguinis dotes convertendo; sed elaboratum quidem gelatinosum oleosumque liquidum in primo adsimilationis gradu haereat, & in cellulosis telis congeratur: videas in iis, quam parvae angustaeque venae in artubus disponantur, fere ad V. S. haud aptae satisque patentes.

XVI. Sed & in debilibus hominibus a variis caussis praegressis, ipsisque in morbis decrescit, ea sanguinis quantitas, ut mirum saepe sit, qua ratione vitae sustinendae par existat.

XVII. A fame omnem fere sanguinem exhaustum observat SAGAR (*a*); inanes ab inedia arterias adnotat HALLERUS (*b*); in venis cordeque nullum sanguinem in defuncto in colica (*c*); in phthisico nullum praeter pulmonem sanguinem (*d*); in febre miliari sanguinem vix ullum observatum (*e*), in ovibus, fasciolis, seu vermium genere hepatico laborantibus mortuisque,

(*a*) SAGAR de morbo epid. p. 5.
(*b*) HALLER. Opusc. min. T. I. p. 88.
(*c*) KUPFER de volv. Vol. III. HALL. pr. p. 373.
(*d*) HALLER. Elem. T. II. p. 220. 227.
(*e*) DE FISCHER de febr. miliari p. 36.

sanguinem exhaustum (a) Celeb. Viri adnotant; Vidi ipse virum iuvenem, robustum adparentem, procerum, in servitiis agriculturae, febre acuta continua, praeter opinionem mortuum; in cuius cadavere praeter molem lienis, sanguine gangraenoso turgidissimam, nullus sanguis in corde, vasisque maioribus omnibus, licet paullo ante mortem pulsum fortem, magnum, frequentem, sed molliorem adnotaverim; quod idem observasse se refert DE HAEN (b); alii plura observata habent paucissimi sanguinis in cadaveribus reperti, nova acta N. C. (c) CAMERARIUS (d) SCHWENKE (e) MORGAGNUS (f) GORTERUS (g); ne duas uncias inventas refert LIEUTAUD (h) DE HAEN (i) HEUERMANN (k); unde parva etiam vulnera lethalia redderentur: vidi senem, debilem, bibulum, levi vulnere rami arter. temporalis defunctum, in cuius cada-

(a) SAGAR l. c.
(b) DE HAEN Rat. Med. P. VI. 212.
(c) Nov. act. N. C. T. I. Obs. 100.
(d) CAMERARIUS Vol. V. HALL. Chir. p. 465.
(e) SCHWENKE Vol. VII. HALL. 483.
(f) MORGAGNUS de sed. & caus. morb. Ep. 36. n. 11.
(g) GORTERUS de perspir. p. 385.
(h) LIEUTAUD Pr. Med. T. I. p. 53.
(i) DE HAEN l. c. P. IX. p. 45.
(k) HEUERMANN Chir. T. I.

vere nulla alia laesio adparuit, sed nullus ser-obſervatus ſanguis. Vidi in debilibus hominibu, a. V. S. etiam parca inconſulto adhibita, continuo fere pedes oedemate hydropico ſquallidos & hydrope demum invaleſcente mortuos; dum quantum ſanguinis denſi copia imminuitur, tantum invaleſcit aquoſae partis ratio colluvieſque quaqua verſum extra vaſa in cava celluloſa exundans: ſimiles a fluxu haemorrhoidali periodico copioſo, mutationes in cadaveribus deſcribit ROBIN (*a*), ſanguiniſque veri in vivente adhuc aegro non ultra decem uncias aeſtimat. A. V. ſectionibus crebris in febre tertiana, accedente demum ſubita ſyncope, lethali praeter alia, venas cerebri, plexuſque choroideos in cadavere inanes flatulentoſque deſcribit LIEUTAUD; idem poſt peripneumoniam 25. V. S.bus debellatam, in cadavere reliquas corporis partes fere exſangues, item in virgine chlorotica, pluſquam centum V. Sectiones paſſa adnotat (*b*). Mira certe haec ſanguinis, ratione copiae variatio in hominibus ſuaſque ſemper cautelas exigens.

XVIII. Sed & eius ſanguinis abundantia in

(*a*) In Diario ROUXIANO vid. Comm. de reb. in Sc. Nat. Vol. XIX. p. 482.

(*b*) LIEUTAUD Hiſt. Anatom. p. 113. 158. 188.

C. H. Veterum iamiam attentionem in curandis morbis meruit, quam *Plethoram* dixere, atque hodiedum recepto eo nomine salutant.

XIX. Nimia vero illa copia est, quae maiorem habet rationem ad corporis magnitudinem ac systematis vasorum rationem, quam commodum vitae exigit. Alii apicem sanitatis dixerunt, sive non quidem ipsum adhuc morbum, sed caussam tamen morbi proximam; dum multis caussis, non evitabilibus, rarescere sic potest commoverique, ut vasa dilatet nimis, debilitet varioque morbi genere rumpat.

XX. Nascitur omnino caussis supra dictis; viscerum chylopaeorum bonitate, eorumque, quae ad sanguinem conficiendum requiruntur, accedente vitae lautae beatitudine, qua eius materiae principiorumque sanguinis constitutivorum e victu praecipue animali plurimum suppeditatur; dum & caussae aliae, maiores eas copias consumpturae, negliguntur per otia minoresque corporis exercitationes, surrogatis aliis per somnii lectorumque mollitiem, regimen externum calidius, cui quis insueverit, quae relaxato potius fibrae solidae elatere, systematis vasorum capacitatem ad locandum id penu fovendumque, inducunt non tam, quam eius in variis viscerum recessibus, praecipue encephalo, collectioni favent; unde potissimum a somno, apoplexia, eius

plethorae effectus ingruit (*a*). Quorsum & illa corporis dispositio pertinet, quae id systema ipsa corporis fabrica dilatabilius habet.

XXI. Neque adeo corporis quidem robur fibraeque solidae densitas firmitasque, quae robustum effingit agricolam, sufficit; dum in laxa mobilique corporis foeminei constitutione ea plethorae genesis est supradictis observationibus; ut resistere potius plethorae corporis robur videatur (*b*). Praecipue huc pertinet peculiaris plane virtus tum virium degerentium, in solvendo extrahendoque, quidquid solubile gelatinosumque in adsumptis continetur, eoque in bonum chylum convertendo, quaeque in debilibus saepe, inque ipsis phthisicis integerrima superest; tum virium adsimilantium chyli, eumque in sanguinem convertentium non tam, quam eius densitatem specificam conservantium, quae proba cordis vasorumque actione consistit. Sed & systematis vasorum minimorum sanguineorum peculiaris ratio subesse videtur, quae virtute minus vegeta attenuandi sanguinis, eiusque in minimas particulas dividendi gaudent, quae aliis se- & excretionibus secedant. Eorum certe vasorum vi-

(*a*) Nunquam apoplexiae alio tempore, quam a somno, ingruentis ego saltem memini.

(*b*) TISSOT Abhl. über verschiedene Gegenstände der Arzneiw. p. 173.

tia ſubſunt ; quae plethorae toties partiali variiſque haemorrhagiis favent.

XXII. Excretiones utique naturales corporis adſumptorum rationi haud reſpondere, neceſſum eſt ; reſpondens enim, quantumcunque cibi adſumptum fuerit, colligendae liquidorum copiae repugnat ; licet turbata haec excretionis proportio ad eadem vaſorum minimorum ſanguiferorum vitia referenda videatur, effectumque potius ſaepiuſque plethorae, quam cauſſam agat. Haec illa hominum conditio eſt, qui copioſos inter cibos potuſque lautos macilenti manent, ſtrictioremque corporis ſui fibram retinent.

XXIII. Queis cauſſis ingens & immenſa copia ſanguinis generari poteſt : dauturque homines, qui peculiari corporis ſui conſtitutione incredibilem ſanguinis copiam parant, adnotante TISSOTO (*a*) quin eam a robore corporis repetere virtutem vel & ſuſpicari ſaepe liceat, ſed eius vi peculiari in ſanguine ex quibuslibet fere adſumptis conficiendo : cuiuſque adeo ratio obſcura adhucdum latet. Haemorrhoidariam foeminam memorat TISSOT, quae per annum 412. libras circiter ſanguinis amiſerit, licet croci Matris magnis doſibus uſa ; alia ſupra dixi foeminarum, debilium etiam exempla.

(*a*) TISSOT l. c. p. 175.

XXIV. Sed & rarior haec quidem avis plethora videtur; si temperamentum sanguineum, ut vocant, ab ea distinguimus, quod a bonis viscerum suorum viribus sanguine probo turget: magnus in ea voce abusus est, quo & conceptis propriae sanitatis roborisque ideis, sibi blandiuntur, & familiaris toties V. S.is, in qua proprio sibi consilio placent, rationes habent; ut pauperes etiam, senes, malo parcoque victu utentes, milites exercitatos, solo fere pane militari sustentatos, baiulos in plethoricorum classem toties relatos audias, solo fere indicio a venarum in manubus brachiisque tumescentia petito; cuius fallacia facile tum a naturali quorundam habitu adparet, tum, quod a viscerum abdominalium vitiis, liberam ibidem circulationem prohibentibus, efformetur toties, dum inter obstacula abdominalia sanguis in extremos artus copiosior determinatur, subsidetque facile solo leniorum catarcticorum usu continuato, uti crebra quotidianaque observatione constat; atque adeo absque computatis simul primarum viarum vitiis, plethora recte aestimari nequit.

XXV. Distinguendum vero inter polyaemiam seu sanguinis copiam auctam naturalem, quae temperamenti sanguinei est, & illam praeter naturalem, quam plethoram dicunt, quaeque copia sanguinis boni maior a BOERHAAVIO dici-

tur (*a*) quam quae ferre poſſit eas mutationes; quae cito inevitabiles, vel a caloris augmento vel minimo vitio rerum non naturalium, adfectu animi validiore &c. (*b*) accidunt, niſi inducantur morbi; proportionemque adeo ſyſtematis vaſculoſi laeſam refert, neque ſubſiſtere diu abſque morbo brevi inducendo poteſt.

XXVI. Diſtinguenda porro *varia plethorae genera*: quae confuſa invicem varios errorum tum in cognoſcendis, tum curandis morbis fontes conſtituunt.

XXVII. Habetur primo *plethora ad molem*, quae vera ſic dicitur & abſoluta, ponitque molem ſanguinis reipſa ita exuberantem, ut vaſis continentibus moleſta ſit (*c*); haecque a Veteribus ad *vaſa* dicta plethora; atque in molliori habitu corporis ſanguine undequaque perfuſo, partes intenſe rubent turgentque; maxime ubi vaſa nulla cute tecta, nudaque adparent in oculorum angulis, adnata oculorum tunica, labiis, ore, faucibus aliiſque partibus; habitus inde corporis floridus, Euſarchos, plenus, pinguis, planities abdominis; in ſtrictioribus contra corporibus vaſa

(*a*) BOERHAAVE Aph. §. 106.
(*b*) GAUBIUS Pathol. §. 388.
(*c*) V. SWIETEN Comm. T. I. ad §. 100.

ſa maiora magis diſtenduntur ; venaeque prae arteriis laxiores ultra modum tumeſcunt ; maximeque accedente levi rarefactione per motum corporis , calorem aeris auctum , alia quaecunque calefacientia diſtenſionis ſenſus in omnibus muſculis tumorque diffunditur , cum motus quadam difficultate , ſegnitie , ſomnolentia (*a*) , vertiginoſa capitis gravitate , conſideratis ſimul cauſſis antegreſſis , ſupra dictis ; arteriae plenae , magnae , pulſus tamen parvus (*b*) , dum moles movenda maior ab eodem naturae conatu nonniſi tardius moveri poteſt.

XXVIII. Quorſum & momentum illud referendum conſiderandumque videtur , num ſanguinis eae copiae in ſyſtemate arterioſo magis , quam venoſo haereant : quod pro aetatis temperamentique ratione differre omnino , varioſque effectus producere videtur : ita namque in iunioribus arterias magis dilatabiles laxioreſque conſtituit natura , qua continuatis demum cordis motibus , circulantiſque ſanguinis vi , ipſa aetate magis evecta , ſolidiores denſioreſque redduntur , magiſque prae venis indureſcunt , in quas minor cordis impetus urget ; quam diverſam vaſorum

(*a*) V. SWIETEN l. c.
(*b*) DE SAUVAGES Pathol. method. p. 106.

conditionem experimentis WINTRINGHAMI illustratam, pluribus refert HALLERUS (*a*); qua certe ipsa ratione in iunioribus sanguis in arteriis copiosior (*b*), facilesque illas variasque haemorrhagias efficit; quae maiori aetate cessant; in qua potior venarum uti externarum manifestus tumor, ita & internarum toties, haemorrhagias magis ominosas molestioresque efficit in haemorrhoidibus, sputis vomitibusque cruentis.

XXIX. Huic plethorae verae adfinis est *Plethora ad spatium* dicta GAUBIO (*c*); quae ex imminuta systematis circulatorii capacitate oritur, quantitate simul sanguinis pariter haud imminuta; dum quantitas ingestorum & vis coctrix eaedem remanent, uti amputatis artubus, castratione (*d*) aliquando fit, visusque inde mictus cruentus, haemorrhagiae narium. Dysenteriam a plethora ab amputatione describit HILDANUS (*e*); ubi deficiente nimirum solo spatio angustioreque reddito, quo contineri debebat sanguis, abundat in reliquis, etsi nec mole nec volumine

---

(*a*) HALLER. Elem. T. I. p. 72.
(*b*) WITHERS Bemerk. über die Fehler beim Gebrauch der Arzneimittel p. 12.
(*c*) GAUBIUS Pathol. §. 389.
(*d*) DE SAUVAGES l. c. p. 106.
(*e*) HILDANUS Cent. II. Obs. 100.

auctus. Respectivam ideo vocant, cuius origo non copiae, sed spatio angustiori debeatur.

XXX. Idem fieri monet GAUBIUS firmarum partium maiori constrictione; uti plethorae effectus manifeste in utero a constrictis vasis femoralibus adparet; queis eorum vasorum spatio angustato, sanguis in vicinis congregatur; HAMILTONI (*a*) evidens facileque experimentum docuit, quo ea methodo accelerari pulsum, plenitudinis circa uterum gravitatisque sensum, brevique sequi catamenia observavit; methodus probata SWIETENIO (*b*), HAENIO (*c*), aliisque Celeberrimis Practicis; qui & eodem argumento in vehementioribus haemorrhagiis artuum ligaturas a Veteribus commendatas reiiciunt, uti LEAKE (*d*), PASTA (*e*), ASTRUC (*f*), aliique. Eadem ratio frequentis narium haemorrhagiae a collari nimis stricto, quam refert SWIETENIUS (*g*); eaedem a vestitu nimis stricto noxae; haemo-

S 2

(*a*) Continuat. Obs. Edinburg. P. II. art. 31.
(*b*) V. SWIETEN T. IV. p. 438.
(*c*) DE HAEN Rat. Med. P. VI. p. 266.
(*d*) Conf. MURRAY Pract. Bibl. Vol. II. p. 270.
(*e*) Act. Edinburg. P. VI. p. 586.
(*f*) ASTRUC FR. ZIMM. Krankh. p. 320.
(*g*) V. SWIETEN T. III. p. 330.

ptöen refert LUDWIG (*a*), SWIETEN (*b*); thoracum nimis arctarum in foeminis noxas in menstruis nimiis, it. fluorem album adnotat PLATTNERUS (*c*); alios plethorae effectus, haemorrhagias, vomitum cruentum TISSOT (*d*) haemorrhoides *fränkische Anmerkung*. (*e*) adnotant: quem in haemorrhoidibus effectum a calceis, ocreis, caligis arctioribus eaedem observant (*f*). Gibbositatis, adfectus nostris in oris familiaris, quaeque cum varia aortae, venarum cavarum, aliorumque vasorum mutata directione, angustatione non potest non esse coniuncta, similes in apoplexia, potissimi vero plethorae abdom. infarctus atrabilarii, gangraenae demum abdominalis effectus sunt.

XXXI. Similes plethorae effectus a caussis aliis coarctantibus constringentibusque sunt: uti terrorem, accessum frigoris febrilis, frigus magnum subitumque refert GAUBIUS (*g*) it. SAUVAGES (*h*); a quibus toties congestiones san-

---

(*a*) LUDWIG. Instit. Clin. §. 368.
(*b*) V. SWIETEN T. IV. p. 10.
(*c*) PLATTNERUS Art. Med. §. 241. 545.
(*d*) TISSOT Krankh. der Reichen p. 158.
(*e*) FRAENK. Anmerk. Vol. VII. p. 508.
(*f*) FRAENK. Anm. l. c. p. 509. it. DESESSART von Erziehung der Kinder. p. 437.
(*g*) GAUBIUS l. c.
(*h*) SAUVAGES Pathol. meth. §. 52.

guinis in partibus interioribus contingunt ; unde a frigore febrili hepatis , it. cordis pulmonumque noxas repetit SENAC (*a*) mortemque ipsam SWIETENIUS (*b*) , it. SYDENHAM (*c*) : ita frigore haemorrhagias vehementiores fieri adnotat SCHWENCKE (*d*) atque inter caussas haemoptöes , gelu corporis superficiem vasaque externa constringens , refert HOME (*e*) ; iisdem effectibus a frigore valido apoplexias subitasque mortes observat TRALLES (*f*) ; frigus externum , dum omnes reliquas in habitu corporis venas vehementer arctat , sanguinem in cerebrum congregare , cuius immobile involucrum nullum frigus arctare possit , HALLERUS adnotat (*g*) ; in foemina frigore enecta , vasa sanguinea cerebri , cruore plenissima vidit ROSENIUS , it. QUELMALZ (*h*) ; inflammationem in cerebro describit *Promptuar. Hamburg.* (*i*) ; validum fri-

(*a*) SENAC de abscondit. febr. nat. p. 105. 106.
(*b*) V. SWIETEN l. c. T. II. p. 113. 514.
(*c*) SYDENHAM p. 94. 101.
(*d*) SCHWENCKE haemat. p. 35.
(*e*) HOME Princ. Med. p. 231. 232.
(*f*) TRALLES diaet. princ. p. 327.
(*g*) HALLER. l. c. T. IV. p. 171.
(*h*) QUELMALZ de frigor. effic.
(*i*) Hamburg. Magaz. Vol. III. p. 346.

gus tanquam apoplexiae caussam accusat MORGAGNI (*a*) rationemque a contractis vasis exterioribus addit, si maxime subitum fuerit: a diu durante aere frigido siccoque HUXHAM observat (*b*) it. RAMAZINI (*c*); frequentem inde anno 1709. refert GREBIZIUS (*d*), idemque a ventis septentrionalibus vel diu durantibus vel subito ortis, SARCONE adnotat (*e*); ipseque TISSOT varias observationes colligit (*f*): effectus similes in pulmonibus eas arctatorum vasorum exteriorum corporis noxas luculenter demonstrant, dum pulmones ita sanguine infarcti a frigore visi sunt, ut in aqua subsiderent immersi (*g*).

XXXII. Rigiditatis porro in solidis vasisque variorum, inprimis tenuiorum generum inductae, pares effectus sunt, adnotante GAUBIO, quod potissimum in senibus vitium est; dum ipsius vitae actione vasa minora sensi n compaginata elisaque, impervia suis liquidis, solidorum

(*a*) MORGAGNI de sed. & caus. Morb. Ep. III. n. 13.
(*b*) HUXHAM Op. P. I. p. 349. 362.
(*c*) RAMAZINI Con. I. Epid. Mutin. Op. syd. T. II. p. 29.
(*d*) Hist. epid. Germaniae l. c. p. 209.
(*e*) SARCONE epid. in Neapel. P. I. p. 60.
(*f*) TISSOT Versch. Abh. p. 132.
(*g*) VOGEL Med. Bibl. Vol. VIII. p. 352.

compagem duriorem ficcioremque reddunt, atque mollem pulposamque corporis substantiam in asperam fere, rigidam & exsuccam convertunt: adeo totidem his in vasis obliteratis circulatio humorum prohibita, in maiora interioraque vasa convertitur, molemque a prohibitis minorum excretionibus, necessario accumulat, & plethorae effectus producit; inde non tam in pulmones, & tracheae glandulas decubitu, senum tusses illae pituitosae, coryzae, asthmata, peripneumoniae nothae, plerisque lethales oriuntur; hinc ominosas in aetate provecta coryzas habet LIEUTAUD (*a*), quod haud raro adfectus comatosos vel apoplexiam post se trahent, vel & iisdem rationibus senum tusses chronicas in catarrhum suffocativum terminari, crebra observatio docet (*b*).

XXXIII. Sed & propiores plethorae effectus, maxime salvo adhucdum, uti toties fit, adpetitu, neque detracta ciborum copia, habet v. c. haemorrhoidum, toties in senibus accedentium; aliquando & narium haemorrhagiam, toties senibus ominosam parit, quam apoplexiae prodro-

(*a*) LIEUTAUD Prax. Med. T. I. p. 332.
(*b*) PLATTNERUS de Art. Med. §. 406.

mam plerique habent (*a*), aut imminentem in cerebro ferofam colluviem metuit LIEUTAUD (*b*); unde lentae illae apoplexiae ferofae trahuntur: apoplexiam fenum eodem fonte, etiam fanguineam adnotat MORGAGNI; qui omnino fanguinis, vafa vifcerum adgravantis effectus, dum ab externis, fpatio circulatorio imminuto, excluditur, qui ad plethoram ad fpatium dictam pertinet, magifque toties eos in effectus urget, dum accelerato per quafcunque cauffas motu, ac rarefactione inducta, per animi fortiora pathemata, potufque generofiores, fpatium maius, alias fibi denegatum, adfectat, fragiliaque vafa rumpit (*c*).

XXXIV. Adfectionum fpafticarum fimilis ratio eft, effectufque refert, ad idem plethorae genus pertinentes; dum vafis alibi fpaftica fibrarum fuarum mufcularium contractione anguftatis occlufifque, aut & partium, quibus accumbunt vel innectuntur, fimili adfectione, in alia liberioraque vafa fanguinis maior moles ac vis coacervatur, ac morborum toties medentiumque ideas, accitis alienis plethorae phaenomenis fallit: eo inteftinorum vitio faepe, aut flatulenta diftentione,

---

(*a*) LUDWIG. Inft. Clin. §. 377. KLEIN interp. cl. p. 123.
(*b*) LIEUTAUD l. c. p. 353.
(*c*) LUDWIG. de Pleth. differ. §. XX.

aut saburrae latentis putredine phlogoses, ebullitiones, morborumque inflammatoriorum toties effinguntur phaenomena, quae pleuritides illas biliosas ac peripneumonias epidemicas efformant, facile hisce morborum larvis alienis fallentes, & in iniquas medendi vias trahentes. Hypochondriacorum ac hystericarum similis haec facies, qua se inter plethoricos referunt, ac iteratis V. S.bus sibi consulendum putant, dum reliqua simul phaenomena, venarum in brachiis tumor, facies tumida, florida rubicunda, pulsus magnus, fortis, aut durus saepe spasticusque in easdem plethorae (*a*) notas conspirant. Haemorrhagiae variae, quae inter primaria plethorae phaenomena referri vulgo solent, potissimum in spasmis aliarum partium rationes habent, ut & inde caussam haemorrhagiae proximam repetat FR. HOFFMANNUS (*b*), & quae saepe antecedunt phaenomena, dolorem, sensumque palpitationis circa lienem ad easdem caussas SWIETENIUS (*c*) reducat: eadem haec spasmi dominantis, qui maxime frigus febrile efficit, haud dubie ratio est, qua febris intermittens sub larva haemorrha-

(*a*) SCHWENCKE l. c. p. 36.
(*b*) FR. HOFFMANN Med. Rat. T. II. p. 116.
(*c*) V. SWIETEN l. c. T. II. p. 463.

giae narium periodicae latuiſſe viſa eſt, ut adnotat ROSENIUS (*a*).

XXXV. Adparet vero, quantum ea in forma fallaciae ſubſit ſaepe numero, errorumque campus ampliſſimus; dum alienae oppoſitaeque ſpaſmi cauſſae aut ab acri irritante, aut ſimul ex inanitione vaſorum, aut ex ea ſola pendent (*b*), aut aliis a cauſſis haud cum aucta humorum maſſa, ſed imminuta potius coniunctis, ut plenitudinis phaenomena inferant, cum ſanguinis maxime defectus ſit.

XXXVI. Adparet obſtructionum in viſceribus latentium eaſdem rationes effectuſque eſſe; ut alienis in vaſis alienas valetudinis aut morborum facies induant; inde floridae illa toties in phthiſi, aſthmate; atque ipſae narium haemorrhagiae eo obſtructorum viſcerum fonte fluunt, uti eas vel chronicas etiam ex ſcirrhis hepatis lienisque ortas adnotat BONETUS (*c*); ipſo in hydrope iiſdem vitiis haemorrhagia narium aliquando fluit, malo omine notata (*d*), niſi nimiae ſanguinis denſitatis vitio flagret morbus, obſervante MONRO (*e*).

(*a*) ROSEN Kind. Kr. p. 345.
(*b*) LUDWIG de Pleth. diſſ. §. XXI.
(*c*) BONETUS Sep. T. I. p. 446. 449.
(*d*) V. SWIETEN T. IV. p. 258.
(*e*) MONRO de Hydrop. p. 65.

XXXVII. Alia plethorae genera sunt, nobis in argumento tam utili consideranda; quod cum vera illa plethora confundi toties soleant, minusque rectas medendi rationes exhibeant.

XXXVIII. Datur *Plethora*, quam ad *volumen* GAUBIUS adpellat (*a*): sed adparens quoque & spuria dicta, quae aucto rarefacti sanguinis volumine, molem veluti auctam mentitur, licet nullo modo aucta sit aut exsuperet; namque cum capacitas canalium haud eodem gradu una & aequabiliter dilatetur, expansus humor, quo antea modice repleti fuerant, maius spatium adfectando, haud aliter, quam vera plethora turgefacit; levi caloris augmento vel a pastu insigniter tumentes in manibus venae, faciei auctus rubor, sensusque determinati ad caput sanguinis, de mole sanguinis plethorica persuadent toties, ut Medicorum etiam adsensum mereantur; dum nonnisi rarefacti humoris a caloris augmento, vel eius ab impedito in abdomine per extensionem liberrimo circulo ad vasa exteriora determinati effectus est.

XXXIX. Dantur homines tenerioris praesertim ac delicatae fibrae solidae constitutionis, quorum sanguis tam rarescibilis, ab aeris focique aucto calore, cibis, potibus, animi pathemate,

(*a*) GAUBIUS l. c. §. 390.

quovis motu eſt, ut dicta phaenomena concitet; preſſionis atmoſphaerae vim variatam Barometri inſtar ſentiunt; dum tenera ſolida facile aucto humorum volumini cedunt, ſanguinemque in minima alienaque vaſa admittunt: quae foemellarum teneriorum communis conditio eſt.

XL. Naſcitur haec ſanguinis rareſcibilitas peculiari eius diſcraſia, quae acri tenui, per ſanguinem dominante, eiuſque quadam diſſolutione fovetur, qua in naturalem ſpecificamque denſitatem, quae robuſtioribus viribus convenit, haud compingitur tenella corporis fabrica, eamque teneram, ſenſiliorem, ac irritabiliorem ſuſtentat, dum gelatina nutritia acriori, haud ſolida ſatis ſcatet. Liquatae pinguedinis, quam calor valde expandit, copiam in ſanguine receptam accuſat GAUBIUS (*a*) aut oleoſum quodcunque praedominans magiſque exaltatum; quod magis inflammabile, ad eoſdem caloris gradus magis rareſcit.

XLI. Quodque acrimoniae genus non tam nativa complurium diatheſi, cum delicato tenerioreque fibrae ſolidae habitu coniuncta, quam lauto mollique diaetae genere, potibus ſpirituoſis pleniſque varii tituli poculis, queis quiſque *Baſſum Thracia vincat amyſtide*; ex victu nimis ani-

(*a*) GAUBIUS l. c.

mali, quem potiſſimum varia aromatum, gelatinarum e carnibus elicitarum pinguiumque compoſitione, ars coquinaria, pinguiore toties, quam literatorum ſoſtro ſuſtentata, adponit, tandem adquiritur, vitiiſque tum ſolidorum, inde magis tenereſcentium flagrat, tum liquidorum ab oleoſo aromatico, difficillime e ſanguine eluendo.

XLII. Similia quidem eius, ac verae plethorae phaenomena ſignaque ſaepe ab habitu cutis illo roſeo plenoque nitore adparent; niſi quod accedentibus cauſſis externis potiſſimum interniſve ſupradictis, phlogoſes eas exhibeant; queis ſanguis magis attritus tenuiorque in vaſis cutis pluribus amplioribus ſublimioribus ruborem vividiorem, aut magis conſpicuum refert; additque eam pulſuum conditionem DE SAUVAGES (*a*), qua magis impetuntur & tenduntur vaſa, eoſque adeo frequentiores durioreſque efficiunt; dum plethora vera velut quieſcens obſtaculum circulationi oppoſitum conſiderandum eſt.

XLIII. *Plethora alia ad vires eſt*, quam veteres nuncuparunt, ſed ſpuria pariter frequentiorque; nimirum ea ſanguinis abundantia, cui ferendae regendaeque vires naturae haud ſufficiunt (*b*), hinc onere gravantur opprimunturque: de-

(*a*) DE SAUVAGES l. c. p. 107.
(*b*) GAUBIUS l. c. §. 391.

bilibus exiguum hoc sanguinis superpondium esse poteſt, quod facile tolerat robuſtior, ſuperatiſque vaſorum debiliorum viribus moleſtum eſt, & congeſtione, eruptione varios vaſorum morbos, ſimileſque verae plethorae effectus inducit: naturis irritabilibus, quibus propria plerumque debilitas, levis humorum exceſſus pro eo ſtimulo eſt, quo in motus inordinatos agantur: probe ventriculi comparatione utitur FR. HOFFMANNUS (*a*), qui robuſtus ciborum magnam copiam commode perfert, riteque concoquit; dum debilis minore quantitate laeditur.

XLIV. His vel macilentus vel ſi plenior, mollis paſtaceuſque corporis habitus, facies plerumque pallida, nonniſi a levi etiam animi corporiſque agitatione, florida & rubicunda, pulſus debilis facile accelerandus. Reſpiratio libera in quiete, levi animi corporiſque agitatione anheloſa, impatientia frigoris caloriſque, in animi pathemata proclivitas, venae extremitatum facile tumentes (*b*), levitas mox animi corporiſque, mox languor ſtuporque perinde ac alvus varia, mox ſicca mox liquida.

XLV. Naſcitur vero cauſſis queiſcunque, unde vaſorum vires deiiciuntur, uti vera ipſa

(*a*) FR. HOFFMANNUS Med. Rat. T. II. p. 432.
(*b*) LUDWIG. l. c. p. 1190.

ſanguinis copia, vaſa nimis diſtendente, demumque debilitante, uti eandem in comparatione ventriculi adſignat FR. HOFFMANNUS l. c. cuius vires continuata ingeſtorum moles demum deiicit; ſed vaſorum haec debilitas uti vires habitumque univerſi corporis fibraeque ſolidae, ac maxime ſyſtematis nervoſi ſequitur; ita omnes huc ſpectant, qui debilitate generis nervoſi laborant; licet interim digeſtio ciborum, proba ſatis vigeat chylopoëſis; uti eos huc refert LUDWIGIUS (*a*); itemque naturas huc valde ſenſiles ac irritabiles GAUBIUS (*b*) accenſet.

XLVI. Spectant huc cauſſae omnes, eam debilitatem inferentes, adfectus animi diuturni, venus praematura nimiaque, ſanguinis crebrae iacturae per haemorrhoides crebras, alias nimias ſanguinis excretiones, ipſamque crebram venae ſectionem (*c*); ea enim ſanguinis diſpendia, ſi robuſtos plethoricoſque exceperis, vaſorum actionem vireſque arterioſas imminuunt, ſolida laxa debiliaque efficiunt, craſin ſanguinis deſtruunt (*d*): adeo ea demum conſuetudine fit, ut ſenſibiliore magis corpore, quaevis reparati ſanguinis moles

---

(*a*) LUDWIG. Pathol. §. 10. 55.
(*b*) GAUBIUS l. c.
(*c*) GAUBIUS l. c. HALLER. l. c. T. II. p. 142.
(*d*) LUDWIG. l. c. §. 1047.

oneri ſtimuloque ſit, aliter haud gravatura. Hi certe ſunt, quibus bonis equidem viſceribus, facilis ea ſanguinis regeneratio eſt, ſed & per copioſas continuo haemorrhagias, ac crebro redeuntes, effuſio per narium haemorrhagias, haemorrhoides, catamenia irregularia, uti crebra obſervatione conſtat (*b*).

XLVII. Miſerandus toties illorum hic ſtatus eſt, qui inter literas ſevera continuaque meditatione verſantur; qui voluptatibus, veneri litant, lepores quoſvis adfectant pulchelli homines, & de foemineae teneritudinis gratiis ſibi gratulantur, venuſtatis heroes, aliena quaevis ſcenicaque potius, quam antiquum germani ſanguinis robur adfectantes. Qui redeuntibus facile haemorrhagiis, viribuſque illis iamiam haemorrhoidibus, athletas ſe credunt, & repetitis multoties per annum V. S.bus ſibi conſulunt, conſiliis etiam Medicorum adſentientibus, ſi illae praeſertim haemoptöicae fuerint: ſed id agitur ſimul, ut ſolida fibra tenereſcat magis, peculiari debilitatis genere adficiatur, ſanguinis craſis pervertatur, ſpecifica denſitas: cuius tantum in integra ſanitate & athletico robore momentum eſt, deficiat; diſſo-

(*a*) UNZER Wochenſch. der Arz. P. XI. p. 386.

dissolutio ubivis uti animi, ita corporis sanguinisque sensim inducitur, acre, deficiente naturali coctionum opera, haud subactum, evolvitur; spirituosum, quod ubivis spirare sibi videntur, acri velut aromate conditum, dum in minimis vasis nervosisque staminibus dominatur, labem sanitatis variam infert, probas gelatinae nutritiae dotes pervertit; nutritio sensim deficit, emaciatur delicata pulchellaque corporis moles, sanguis citatiori circulo movetur ac febrem repraesentat: quae, etiam quacunque caussa occasionali orta, cum stimuli cuiusvis impatientissimae hae naturae sint, cumque ab imbecillitate coctio quaevis crisesque imperfectae esse soleant, vel in viscera nobiliora acris evoluti metastasin, vario morborum, maxime lentorum hecticorumque eventu molitur, vel in cutanei exanthematis, saepe ulcerosi genera, vel tabidum corporis statum; quem aut hepatis aliquando pulmonumque marcor, aut nulla saepe visceris notabilis laesio comitatur, vel & in mortem saepe inexspectatam terminatur; quae exercitato etiam Medico toties probro vertitur, licet diuturna propriorum errorum continuatione naturae vim deiecerit, ut serius etiam praeter exspectationem gangraenae abdominalis phaenomena tristem fati nuntium referant: sed & illo tempore, rerumque statu plethorae huius spuriae signa ex orgasmo excitantur toties saepeque narium haemor-

rhagiae, vel haemoptöicae; teneriore sensim magis vasorum textura; quam levis quidam sanguinis nixus dissolvit; ut ingenti cum detrimento ad V. S.es confugiant (*a*): febris inde nervosa, lenta phthisica vel cachectica, oedemata pedum, saepe facile in ascitem & anasarcam terminanda.

XLVIII. Alii alia plethorae spuriae genera addunt, quorum notatu digna momenta sunt: ita *Plethoram obesam* memorat LUDWIGIUS (*b*), quando fluidorum plenitudo respectu vasorum, quibus continetur, exundans, se exserit in systemate vasorum seroso lymphaticorum, cellularum & glandularum conglobatarum: seroso lymphaticam seu oleosam adpellat (*c*); ubi succi nutritii e bono sanguine secreti, cum solidis adponi prorsus non possint, in cava cellulasque reponuntur, easque distendunt.

XLIX. Probus hic corporis status suisque viribus instructus, toties Athletarum forma blanditur; humorum copiam per alimenta potulentaque bonae notae colligit, recte digerit, & sub egregii chyli forma ad sanguinem mittit; sed in eius elaboratione vim validam systematis circulatorii non adplicant (*d*), neque illum in specificam,

(*a*) LUDWIG. de Pleth. diss. §. 18.
(*b*) LUDWIG. Pathol. §. 937.
(*c*) LUDWIG. de Pleth. diss. §. 15.
(*d*) LUDWIG. l. c.

quae sanguinis est, densitatem chyli principia compingit condensatque; sed postquam superfluos, aqueos, & acres saepe humores per varia colatoria corporis blande dimiserit, nutritii succi partem fibris solidis inserit, & vigorem elasticum reparat sustentatque; maior tamen nutrimenti elaborati pars in minora vasa cellulasque effunditur, haecque cava sensim paullatimque in maiorem corporis molem distendit.

L. Onere itaque sed grato, neque adeo molesto, in quo sibi potius quisque placet, corpus adgravatur; quod ob mobilitatem humorum superstitem bene valere videtur, exercitatione saepius reficitur; attamen desidia sensim magis accedente placenteque, nimia humorum copia molestior redditur.

LI. Hae a lautiori victu suppetiae sunt, quibus vitae tranquillitas, otium somnique dulcedo favet; neque exundant in eam molem, dum vita satis exercitata, aetate iuvenili, iustum solidorum fluidorumque aequilibrium obtinet.

LII. Singularis iis haud semper definienda caussa subest, peculiaris corporis constitutio fibraeque solidae habitus; quo vires chylopeae ad probum ex alimentis parandum chylum probumque nutritium humorem elaborandum, neque tamen ad densandum satis compingendumque, neque ad superflua eliminanda vires systematis cir-

culatorii visceramque sufficiunt ; subito fere per secundas vias in minora vasa cellulasque transitus concedi videtur.

LIII. Arteriarum sanguinearum, quarum in parandum probum sanguinem crasinque sustentandam summa vis & actio est, laxitas subesse videtur ; adeo ut caussae relaxantes obesitati faveant potissimum ; somnus, cuius argumenta colligit HALLERUS (a) minor irritabilitas motusque (b), uti obesos magis incurios segnesque novimus ; ipsaque V. S. crebra obesitati favere visa Anglorum experimentis : adeo obesitatem corpus debile requirere, probe LUDWIGIUS adnotat (c). Iisdemque rationibus periculosam omnino celerem obesitatem observant (d) ; dum econtra vita exercitata, qua robur corporis sustinetur, meditationes ipsae profundae ex GALENI consilio obesitatem tollunt.

LIV. Singulari illa quorundam corporis ad obesitatem dispositione, vitium, vel peculiaris ratio venarum resorbentium fortassis subest (e) ;

(a) HALLER. Elem. T. I. p. 39. 50.
(b) HALLER. l. c. p. 40. Pingues minus irritabiles adnotat BILGUER von der Hypochondr. absque singulari sensu gravius vulnerari SCHMUCKER Chir.
(c) LUDWIG. Adverf. Vol. III. p. 251.
(d) KOEDERER de Morb. mucos. p. 182.
(e) Londn. Bemerk. P. III. Obs. IX.

quae minus reſorbent effuſa in telas celluloſas liquida, inque circulum reducunt: certe vaſa ſanguifera in obeſis ſemper anguſtiora magisque arcta novimus.

LV. Hos itaque plethoricos obeſos adpellamus, quod haud veri quidem rubicundique ſanguinis, ſed tenuiorum, proborum quidem, quibus ſingulis ſua definita denſitas eſt, liquidorum copiam inſignem colligunt; corporiſque molem inprimis ſub habitu cutis, illiſque locis, ubi facile cedit, ultra modum ſaepe augent (a): obeſitatis itaque idea longius extenditur, nec tantum in ſola pinguedinis collectione conſiſtit, ſed verae euchymiae, ultra modum auctae, originem debet.

LVI. Eadem his fere, ac verae plethorae phaenomena ſunt: onus corporis, gravitatis ſenſus, ſpiritus ad motum corporis anhelus, rubedo aucta, venarum tumor, aliaque phaenomena beati quidem corporis, ſed necdum ſanctificati: hique praecipui ſunt, qui crebra per annum ſanguinis miſſione ſibi conſulunt; ſed ſolatii plerumque parum ſentiunt, niſi ſobrio riteque exercitato vitae genere exundantes eas naturae ſuppetias ac cornucopias diminuerint; dum venae ſectione breve non tam eius gravitatis levamen,

(a) LUDWIG. l. c. §. VII.

fed dein potius ab imminuto fanguinis vaforumque robore, ac fpecifica denfitate, maior exundartis gelatinofi oleofique copia, minorque adfimilatio inducitur, variifque cafibus adparet; quam difficulter parvas faepe fanguinis iacturas obefi ferant, quas innoxias macilentus facile tulerit abfque deliquiis illis nervofifque ataxiis.

LVII. Adeo dubium omnino plethorae verae a pleniori corporis habitu fignum eft (*a*); eoquod vafa fanguifera, adipi immerfa, certam craffitiem feu volumen prae ambientium partium compreffione adfequi minime valeant; quod & communi obfervatione conftat. Accedit & illa FR. HOFFMANNI obfervatio, quae fupra dictis de corde obfervatis HALLERIANIS refpondet; qua, dum cum vafis corporis cor aequalem femper proportionem habet, cum magnis & amplioribus vafis cordis magni & cum parvis exilibus eius parvi argumentum eft (*b*); cuius vim pro copia fanguinis paranda in vario animalium genere fupra diximus.

LVIII. Adparetque, quam male cutis colori florido in diiudicanda plethora fidendum fit; qui nonnunquam a peculiari vel infolita corporis cutifque conftitutione potius, quam a fanguinis

---

(*a*) LIEUTAUD l. c. p. 48.
(*b*) FR. HOFFMANN. l. c. p. 432.

exundantia provenire videtur; uti genarum illum ruborem nitoremque perpessas in infantia crustas lacteas significare, STRACKII notam, communis observatio confirmat; vel & acrioris dissolutique sanguinis, qui in vasa minora cutanea facilius exundat, vel impediti alicubi circuli obstructorumque viscerum effectu fit, ut in alia liberioraque vasa determinetur; depravatam potius indolem colligit LUDWIGIUS (*a*), ex rubore genarum, qui inprimis post pastum vel leniores corporis & animi agitationes accedit, quando alio tempore facies flavescens, cacochymica, inprimis circa oculos adparet: inde in phthisicis toties obtinet floridus genarum rubor, adnotante SWIETENIO (*b*) & communi experientia; phlogoses, calorem volarum sanguinis acris, serosi, colliquativi indicium statusque hectici signa habet MORTONUS (*c*).

LIX. Bonus vero hic habitus corporis, qui eum plethorae seroso lymphaticae seu obesae statum sistit, sanguine quidem bene mixto, nutritiis & gelatinosis particulis abundante consistens, suos effectus habet, neque durationem constan-

(*a*) LUDWIG. Instit. Clin. §. 256.
(*b*) V. SWIETEN l. c. T. III. p. 645.
(*c*) MORTONUS Phthisiol. p. 30.

tiorem, a fugaci plane materie in id voluminis; non vero materiae consistentis augmentum congesta, uti obesos leviores observat SCHWENCKE (a).

LX. Nimia bonorum etiam humorum collectio functiones demum laedit, morborumque genesin accelerat: recte FR. HOFFMANNUS (b) ea corpora magis patere morbis adnotat, qui a tardiore sanguinis progressu proveniunt, quae imbecilliora sunt, quae habitus sunt laxi, turgidi, & spongiosi, it. quae obesa repletaque, quam quae vasa ampliora habent, corporisque gracilioris & strictioris sunt, ob expeditiorem sanguinis circulum in vasis capacioribus, quam in angustioribus, & ubi fibrae sunt tensae & renitentes, quam solutae laxaeque: viscido favet demum ac pituitoso languida circulatio, praesertim excretionibus haud rite demum spontaneo virium lapsu, per aetatem aut morbos antegressos inducto, succedentibus, perspiratione, sudore, urinaque parca saepe cum sedimento albo vel surfuraceo: pulmones infarctui pituitoso a facili in vasis minimis stasi concepta, obnoxii; febres in his magis anomalae, & si acuti generis, raro crisium perfectiorum capaces, atque in putridas

(a) SCHWENCKE haematolog. p. 127
(b) FR. HOFFMANN l. c. p. 433.

malignasque faciles; saltemque si emergunt, relinquitur diu imbecillitas, atque oedemata, aliaeque hydropis species saepe morbum acutum excipiunt a maiori solidae fibrae relaxatione, sanguineque magis resoluto.

LXI. Sed & extra hos febrium casus fibrae demum elatere sensim magis destituuntur, relaxantur copiosa aluente adipe, atque uti ea nimis aucta, evanescere fibrae musculares visae sunt (*a*), ita minori gradu eos saltem relaxationis effectus habent; desidia elanguescunt, cellulae flacescunt, invalescit sensim cacochymia facilisque cachexia, si languentibus demum viribus, adpetitus deficiat, ipsorumque organorum digestionis debilitas proborum humorum penu sensim destituit: eo languore sensim pedum oedemata, saepe anasarca; corporis cava effuso sero, saepe corrupto putridoque turgent; dum imbecillitas eorum corporum, primo naturalis, demum aucta, vasa vigore destituit, cellulosaque per aetatem vel morbos praegressos, magis flaccida, dum vacua manere nequit, seri solutorumque humorum receptaculum fit.

LXII. Alter ille plethorae obesae effectus est, dum oleosum in cellulis contentum, per

---

(*a*) ALBIN. Hist. musc. p. 9. 18. HALLER. l. c. T. I. p. 51.

motus, febres; aliasque caussas solutum; venis resorbentibus copiosius hauritur in massam humorum circulantium, quod perinde, ac cito ex observatis secernitur, cito omnino resorbetur dissipaturque (*a*); unde tanta in febribus, tamque subita saepe emaciatio; sed oleosi quanta immeabilitas in vasis minimis, cum pessimarum inflammationum (*b*) saepe subitae putredinis (*c*) metu; quanta acrimonia in rancido, unde pessima pertinacissimaque ulcera, adfectus cutanei emergunt, quorum sedes potissimum vitiis adipis alitur; quantae inde in visceribus noxae ac pericula: hepatis noxas potissimum metuit SWIETENIUS (*d*) ab omento, potissima huius olei abdominalis sede; unde directae in hepar viae ducunt.

LXIII. *Plethoram lacteam* addidere Recentiores, inter Gallos imprimis, terroribusque Germanos etiam, timoribusque complevere; ut a puerperio in novae huius secretionis excretionisque genere animum, ut recte quidem decet, curasque omni nervo intendant, sed & plerosque morbos, puerperis a partu vel serius etiam acci-

---

(*a*) HALLER. l. c. T. I. p. 39.
(*b*) V. SWIETEN T. II. p. 311.
(*c*) V. SWIETEN T. III. p. 337.
(*d*) V. SWIETEN T. III. p. 85.

dentes; integro poſt partum anno (a) eo e fonte derivent, aut derivandos cupiant.

LXIV. Naſcitur a partu uberiore lactis ſecretione in mammis peculiari naturae inſtituto, dum contracto ſenſim magis uteri volumine, vaſis in priores diametros redeuntibus, in organum ſecretorium analogum liquidi copia determinantur; materiaeque nutritiae penu alendo foetui, iiſdem liquidi materni dotibus, queis in utero increvit hactenus, ſuppeditatur; ſed & ſufficiente per ſuctionem infantis excretione nil mali periculique habet: verum negata ea, aut variis cauſſis prohibita, retentum congeſtumque lac non tam varios mammarum adfectus, quam reſorptum patentibus iis vaſorum viis, ac liquidorum circulantium maſſae mixtum, peculiarem plenitudinis ſtatum inducit ominoſum periculoque plenum, maxime a debilitatis puerperae viribus, vaſorumque ſyſtemate magis relaxato.

LXV. Amplior fere iis e cauſſis morborum deſcribitur catalogus, quem a quovis plethorae genere: lac hoc reſorptum, aut quod etiam in mammis necdum ſecretum fuerit, maſſae ſanguinis mixtum, tanquam corpus peregrinum inimicumque conſiderat TISSOT (b), quod cum

(a) Ex LEVRETO SWIETEN T. IV. p. 610.
(b) TISSOT von Krankh. der Vornehmen und Reichen §. 53.

sanguine haud aequabiliter miscibile; stimulos plus minus validos, veluti ab acri, vasis iniecta materie, inferret; unde febres inprimis variae, plus minus acutae violentaeque emergerent, neque nisi facta eius materiae sufficiente excretione, quieturae; quae per varia colatoria organa, alvum, urinas, sudores, ipsamque uterinam excretionem fit.

LXVI. Verum hac crisi excretoria aut non sufficiente, aut variis e caussis prohibita, quanta malorum cohors! Febrem acutam saepe lethalem, aut chronicam lentamque cum tussicula, cutis peculiari marcore describit TISSOT (*a*); febres intermittentes malignas, gangraenam, paralysin PUZOS (*b*), morbos cutaneos varios, furunculos, paronychias, scabiem, sudores chronicos (*c*) diarrhoeas, fluorem album, sterilitatem ex atonia uteri memorat (*d*); febrem inflammatoriam uteri viscerumque abdominalium, cum membranulis omnia viscera obducentibus, seri lactis magnam copiam in cavum abdominale effusam describit FAUCKEN (*e*), pleuritides cum deliquiis, cordis palpitatione, motibus convulsi-

(*a*) TISSOT l. c. p. 77.
(*b*) Comm. de reb. in Sc. Nat. Dec. I. suppl. p. 501.
(*c*) TISSOT l. c. p. 80.
(*d*) TISSOT l. c. p. 48. 73. 78.
(*e*) FAUCKEN vom Faulfieber. p. 64.

vis DESESSART (*a*); purpuram ipsam, toties puerperis lethalem (*b*) erysipelas, aliquando funestum, adfectus arthriticos, paralyticos, debilitates chronicas, anorexiam, status hectici phaenomena, pathemata hysterica, vitae deinceps calamitosae varias miserias, eo ex lactis suppressi fonte, sanguinisque inde reliquorumque humorum inducta corruptela, flagrantibus viscerum ruinis addit.

LXVII. Famosae huc illae lactis metastases pertinent, queis in partes varias externas internasque, varia viscera, cum vario morborum plus minus lethalium, acutorum, acutissimorum, chronicorum eventu liquor ille decumbit: ad regionem inquinalem & extremitates inferiores potissimum eius liquidi nisum ex dolore tumoreque earum partium colligit PUZOS (*c*) testaturque SWIETEN (*d*). Abscessus lacteos ad spinam lumborum coxasque crebrius formari arbitratur LUDWIGIUS (*e*) ob debilitatem harum partium a tensione ligamentorum, musculorum, nervorumque ad spinam dorsi lumbarem & coniunctas cum osse sacro coxas, per validos in partu ni-

(*a*) DESESSART von Erziehung der Kinder. p. 186.
(*b*) PUZOS Comm. cit. p. 504.
(*c*) Comm. cit. p. 505.
(*d*) V. SWIETEN l. c. p. 611.
(*e*) LUDWIG. Adverf. T. I. p. 728.

fus relictam: eam in vesicam urinariam lactis metastasin cum incontinentia urinae relicta credit HAZON (*a*), in abdomen pedemque factum memorat HENCKELIUS (*b*), ut etiam paracenthesis in abdomine ad evacuandum liquidum lacteum salubriter adplicata fuerit (*c*); luxationem femoris inde inductam, it. in abdomine cum cita morte, ubi peritoneum totusque intestinorum tractus materia albida, flocculenta, cremori lactis simili ad 3. vel 4. libras obducta visa, refert VAN DER HAAN (*d*); imo morbum puerperarum, praesertim pauperum, quae in Nosocomio peperissent, epidemicum, Parisiis anno 1746. Act. A. R. Sc. referunt cum similibus in cadaveribus mutationibus, coagulis externae intestinorum superficiei adhaerentibus, seroque lactis in abdomen effuso: factam in cerebrum hanc metastasin chronica amentiae aut maniae mala inducere, refert PUZOS (*e*), aliique (*f*). Morbos

(*a*) Neue Samml. auserlesener Wahrnehm. Vol. V. Art. 53.
(*b*) HENCKEL neue Wahrnehm. P. I. p. 122.
(*c*) Comm. cit. Vol. XX. p. 70. it. MURRAY Pr. Bibl. Vol. II. p. 333.
(*d*) Ex Act. Harlem. Comm. de Reb. in Sc. Nat. Vol. XVII. p. 128. 130.
(*e*) Comm. cit. Dec. I. suppl. p. 502.
(*f*) IAEGER de Metast. lact. Diss. Tubing. 1770. Observationes LEVRETI, CHOMELII adducit SWIETEN T. IV. p. 610. 611.

alios cito funestos pulmones exhibent, in quorum vesiculas transpositio illa lactis facta fuerit, uti observationem refert GARDANE (a), ubi sectione cadaveris in vesiculis pulmonalibus verum lac inventum fuerit: morbum inde lentum hecticumque cum sputis lacteis diuturnis refert BALDINGER (b).

LXVIII. Sed undenam, quaeso, tantae noxae, tantaque in liquido malignitas? Quod mitissimis gelatinosis, omnibusque, quae ad dotes nutritias pertinent, principiis in alendi foetus suppetias natura suppeditat, atque a chylo, qui universam nutritionis C. H. & conservationis materiem continet, largo organorum secretoriorum adparatu proxime deducit, cuius magnam cum sanguine convenientiam GAUBIUS probat (c); ut minime adeo pro corpore peregrino inimicoque haberi oporteat, cui natura maxime perpetuo cum sanguine circulo non tam adsueverit, quam eo ad sustentandas fabricae vires indigeat; minimeque intolerabiles eos stimulos alat, queis vehementissimae, malignae, funestaeque febres exardescunt.

LXIX. An earum, quae puerperis saepe le-

(a) Conf. MURRAY Bibl. l. c. p. 33.
(b) Program. de Morb. ex metastasi lactis.
(c) GAUBIUS Pathol. §. 345.

thales accidunt; haec a lacte origo? Unde coagula illa intestinis visceribusque aliis extus inhaerentia effinguntur: nonne indolem eam febrium inflammatoriarum putridarumque crebra docet observatio; qua exsoluta e massa sanguinis gelatinosa parte, viscidum illud phlogisticum producitur, quod quaqua versum saepe exsudans, coagula, membranas visceribus adhaerentes, efformat, quas toties in pleuritidum ac peripneumoniarum genere pulmonibus, pericardio, cordi aliisque partibus innexas sectionibus cadaverum conspicimus: annon ea e classe saepe febres puerperales, maxime in impuro Nosocomii aere epidemico, quarum similes in intestinorum omentique inflammatione suppurationeque eventus cum membranis illis coagulisque adnotant Viri Celeberrimi LEAKE, HULME aliique.

LXX. Molimina suppuratoria quacunque a caussa nata, id potissimum agunt, ut puriformis ex dissoluta gelatina, materies in varias viscerum metastases pronissima sit; vidi toties abscessus hecticos similibus cum coagulis seroque albicante fluentes; quin a lacte aut chylo originem suspicari licuerit.

LXXI. Annon fluoris albi foeminarum distinctissima a lacte materies est? quam & lacti adscribunt.

LXXII. Verum & annon, dum quis a lau-

tio-

tioribus epulis vinoque generoso redit, maiorem a chylo plenitudinem alit, quam naturae vires tamen placide subigunt, per colatoria haud difficulter, saepeque sola insensibili transpiratione eliminant, ut eas etiam copias saepius repetitas impune ferant; licet maiori oleosi gelatinosique copia, quam lac ipsum, sed & acrimonia spirituosa aromaticaque scateat: quae quaeso a lacte innocuo turbae, turbarumque caussae? quas nemo facile conceperit.

LXXIII. Atque quare tumorum eiusmodi, quos a lacte in cellulosos textus deposito repetunt, tam facilis curatio, uti describunt (*a*), licet per plures durarint hebdomades; cum alias tanti a coagulis lacteis, quiete moraque natis, metus sint timendique omnino effectus.

LXXIV. Annon eam mammarum fabricam construxit, corporique animali providit Creator, ut vasa lactifera innumera anastomosi inter se invicem non tam, quam vasis lymphaticis, venisque sanguiferis inosculentur, demonstrante MECKELIO (*b*), perpetuumque sic adfluxum refluxumque in communem humorum circulantium massam facilem omnino sustentent, ac naturales plane has vias exhibeant, ut lactando nutrimenti

(*a*) V. SWIETEN T. IV. l. c.
(*b*) MECKEL. Nov. exp. & observat. de finibus ven. & vas. lymphatic.

penu ſuggerat alumno ; nec tamen proprium defraudet corpus ; perpetuam adeo hanc ſecretionem reſorptionemque per complures a lactatione annos, imo aliquando in vetulis adhuc ſuperſtitem (a), faciant, inque ipſis viris (b), foetubus (c) obſervata, naturae hoc inſtitutum doceant.

LXXV. Quod tanti momenti viſum eſt MECKELIO (d), ut novam hanc, e Gallia traductam Pathologiam, adeo & aniculis & Medicis placidam, plane ridiculam arbitretur. Sed eam mihi, tantis viris contradicendi, partem haud ſumpſerim, ſi quando iis in adfectibus verum lac, neque aliam ea ſub ſpecie fallacem materiam invenerint, quam rariorem tamen obſervationem credo ; dum puriformis, in maſſa ſanguinea contenta materies, quam e cruſta phlogiſtica repetit, eamque in gravidis frequentiorem adnotat DE HAEN (e), ea liquidi albicantis forma illudere poſſit : adparet ſaltem, magnum eo in argumento pathologico abuſum, erroribuſque plenum dominari.

LXXVI. Aliae certe ſuperſunt cauſſae, antiquitus etiam cognitae, queis morbi puerperales flagrant, tum graviditatis tempore, tum a partu

(a) HEBENSTREIT Anthropol. p. 183. 184.
(b) HALLER. Elem. T. II. p. 483. MORGAGNI adv. anat. V. p. 3.
(c) V. SWIETEN. T. IV. p. 653.
(d) MECKEL. l. c.
(e) DE HAEN Rat. Med. P. III. p. 133. P. II. p. 25. 30.

traductae, aut a singulari nervorum per conceptionem graviditatemque mutatione, aut viscerum partiumque abdominalium, grandescente uteri volumine, compressione, situs mutatione, alterato sanguinis circulo; aut ab ipsius uteri, vasorumque in maiores sensim sinus, explicatione, queis liquidorum copia, huc determinata sustinetur, sed & a stasi vario corruptelae genere inficitur; quae in exanthemata, morbosque cutaneos, deflagrat, aut inducta uteri partiumque vicinarum a partus laboribus debilitate variisque toties hic adplicatis iniuriis, cum pessimorum saepe morborum eventu: purpuram certe; olim tam ominosam puerperis funestamque toties, rarissimam nostro aevo reddidit tum mutatum, alias familiare, calidum regimen, tum artis obstetriciae magis evecta dexteritas; cauta magis, minoribusque uteri iniuriis agens; quam plethora lactea reddidisset frequentissimam: varia porro lochiorum conditio, haemorrhagiae, variis morbis favent; danturque exempla abscessuum, in abdomine tempore graviditatis enatorum, qui aliquo a puerperio tempore demum rupti, mortem subitam inopinatamque intulerint (*a*).

LXXVII. *Plethorae Therapiam* ut memoremus, facile quidem communeque inprimis in Ve-

---

(*a*) Nov. act. N. C. T. III. p. 327. RICHA Op. syd. T. II. p. 420.

nae Sectione remedium quaeritur; ad quam sacram tanquam anchoram confugiunt, ut eam saepius per annum statutisque plerumque temporibus celebrent: quae vero, licet imminentibus plethorae noxis praecavendis omnino conveniat, effectu tamen minus durabili, eius facili in quibusdam regenerationi non resistit, manentibus iisdem caussis, sanguinis productioni faventibus; atque cum inter ipsas plethorae caussas, si nimis crebra, a plerisque referatur, dum inducta vasis maior relaxatio copiae sanguinis minus attenuandae dissipandaeque, sed locandae potius servit; adparet, cautelas in ea omnino necessarias esse; ut eo in curationis genere ad imminuendam plethorae genesin, Venae Sectiones nimis familiares consuetasque sensim intermittendas suadeant.

LXXVIII. Sed & eo effectu contractae sensim magis consuetudinis, maior inducta debilitas, alias demum noxas accersit, ut in plethorae spuriae genera, vel aucta a lentiore sanguinis motu adipe, in plethoram obesam, vel eam ad vires, quibus minor etiam sanguinis copia molesta sit, variosque infirmae valetudinis effectus degeneret; quibus accedentibus saepe aliis caussis debilitantibus, variisque morborum iniuriis in adfectus cachecticos, potioremque demum sanguinis probi inopiam incidunt.

LXXIX. Adparet, maiores Venae Sectionis in quovis plethorae spuriae genere cautelas esse,

quae deiectas iamiam vasorum vires; sanguinem debiliorem fovet, quas in noxas Venae Sectio crebrior conspirat; id quod plerorumque Cell. Practicorum monitum est.

LXXX. Anceps vero omnino verae plethorae medela est, dum a molestiore diaetae genere petenda est, evitandisque iis caussis, quas plethorae faventes supra diximus: abstinentia nimis tenuis parvusque, minus nutriens cibus e victu praeprimis vegetabili, fructibus horaeis potius, quam cerealibus farinaceisque petitus; potus tenuis, aquosus, pauco tamen vino roborante interposito, somnus brevis, multa corporis animique exercitatio, regiminis calidi cuiusvis evitatio, optima in hoc medendi genere remedia existunt; a quibus vero ii potissimum alieni, qui plethorae caussas aut congenitas aut acquisitas habent; sine quibus a diaeta petitis subsidiis, nec a Venae Sectione, nec quovis remediorum genere curatio exspectari potest.

LXXXI. Summa vero huc cautela pertinet, ne ea diaetae mutatio, transitusque a lauto in tenuem victum subito fiat; quo debilitate accita, deiectisque coctionis & adsimilationis viribus, probi chyli dotes pervertantur, aquosi tenuisque liquidi copia collecta cachecticos adfectus pariat; dum sufficientem quidem ex parco alimento, sed probae notae chylum, haud vero nimium a viscerum chylopaeorum viribus suppeditari opportet.

LXXXII. Ieiunia diutius tolerata; pares cautelas habent; dum moderata, quae victu parciore vegetabili cum aqua simplici consistunt, utilia omnino; nisi victui iurulento animalique nonnisi viscidus ex piscium glutinosorum genere, & farinaceis, praesertim non fermentatis substituatur; quo boni demum sanguinis loco glutinosum spontaneum primis viis invalescit, & in secundas exundans, nisi crebra corporis exercitatione deiiciatur, cacochymiam inferunt, in quam obesi inprimis & debiliores plethorici proclives sunt (a). Molliusculi e carne cibi, victusque iurulentus praecipuas noxas habent, dum duriores sub virium digerentium bonitate; saliti saepe ac fumigati, probum omnino alimentum, sufficiensque, haud nimias illas nutritiae gelatinae copias suggerunt.

LXXXIII. Alia huc remedia referuntur crebra e salinorum potissimum genere carthartica, sal sedl., aqua sedl., crem. tartari, rhabarbarina, sennata, aloetica cum salibus, adiunctis; quae evacuando subducendoque liquidi copias succurrant; quaeque obesi quidem interdum, ea saepe vehementiora drasticaque facilius ferunt: quorum eadem cautela, ne debilitate intestinali alia gravioraque mala inducantur.

(a) LUDWIG. Inst. Therap. §. I. p. 416.

ORATIO ACADEMICA

DE

POPULORUM MISERIA; MORBORUM GENITRICE,

Quam

Die 5. Maii 1790. publice recitavit

IOANNES PETRUS FRANK

R. & A. M. a Consiliis Gubern. Mediol. Facultatis Medicae per Insubr. Austr. Praeses, Praxeos & Clinices Prof. P. & O. Reg. Scient. Acad. Goetting. Mantov. Patriot. Mediol. & Electoral. Moguntin. Sodalis.

DE

POPULORUM MISERIA, MORBORUM GENITRICE.

Infelicem satis mortalium sortem esse, quin de suo miseriis quid adderent homines, confitemur omnes, qui ad sublunare hoc exilium, in quo degimus, a natura fuimus condemnati. Sed ita est, RECTOR MAGNIFICE, PATRES SAPIENTISSIMI, AUDITORES SPECTATISSIMI! pars maxima, quibus opprimimur, malorum, ab ipso homine procedit: acsi natura hoc modo rigorem suum nascondere, & lugentibus lacrymas in proprios errores convertere voluisset. Quodsi vero rerum omnium, quarum exiguam nos partem facimus, compages & constitutio Universi non permisit, ut Ens humanum feliciori, quam in quo vegetat, loco ordinaretur: fatendum tamen est, quod, cui Auctor vitae mentem sanam in corpore sano indulsit, hic in creationem non parum censendus foret iniurius, si, tanto male contentus patrimonio, ingratus obmurmuraret. In hoc vero a pueritia delinquere consuevimus: ut, quam alia illibatam conservant haereditatem animalia, hanc ipsam fere innu-

mentis ausibus nos ipsi petulanter dissipemus; & licet funera ex omni parte circum nos cadant, praecipitium tamen, ad cuius limina errores proprii nos perducunt, non prius abhorrescamus, quam dum, in illud coniecti, ruimus in profundum.

Quo factum est, AUDITORES, ut, cum ex propriis singulorum deliriis tantus iam morborum exercitus egrediatur: alieni etiam errores in non minora mortales discrimina cogant, utque ex ipsa adeo societate, quam sylvestres quondam rudesque homines, ut securiorem amplecterent existentiam, iniverunt, caussae interitus quam plurimae progignantur? Multa certe errantis per vaga nemora, fixisque destituti domiciliis populi incommoda; - sed alios longe eiusdem morbos, nostrisque pauciores omnino fuisse, mihi persuadeo. Atqui, dum Medici publici princeps in eo positum sit officium, ut in variarum, quibus Civitates subiugantur, aegritudinum originem, caussasque praecipuas austero examine inquirat: unam ego hoc in amplissimo consessu Vestro, *populorum nempe miseriam, ut fertilissimam morborum genitricem*, breviter examinabo. Non me latet, hanc communem malorum scaturiginem paucis in Republica ignotam esse; nec praetervideo illud, quod obiicere quis posset, ad *Principes* potius, quam ad alios, quod ab illis fere solis auxilium sperari queat, Orationem fuisse

dirigendam; sed forte quid dicam, quod satis dici non potest; forte, cum per tot annos popularibus morbis & miseriis spectator non otiosus interfuerim, colores imagini, quam depingam, veriores dabo. Vos autem dum alloquor, PATRES SAPIENTISSIMI, qui veritatem scientiasque humanas futuros Magistratus & ipsos sic principes edocetis, videor mihi cum his ipsis sermonem habere. Me, similia quondam cum Publico loquentem, in multis, primorum etiam hominum aures percipere, & Civis licet inconspicui consilia non pauca sequi haud dedignarunt. Forte & talia locutum esse, quondam iuvabit, & neminem, qui tam verae morborum caussae indaginem, ab alio, quam a Medico, exspectari posse contendat, futurum esse mihi persuadeo.

Quam facile foret morborum gravissimorum a Republica, sapienti lege, avertere impetum, eamque ab illis etiam malis salvam tueri atque immunem, in quae ipsorum adeo Medicorum perexilis est auctoritas & potentia; hoc alio tempore uberius a me fuit expositum (*). Sed in quantum extrema populorum miseriam vim Civium uti-

(*) Differt. de Magistratu, Medico felicissimo. Goetting. 1784. recus. in *Delectus Op. Med.* Vol. V. p. 70. Vid. & *Politiae Medicae* Vol. I. IV.

lissimorum vitalem suffocatam tenet & venenoso halitu prosternit; quis vana vel meliora his in rebus esse consilia, non lubens fatebitur? Avertant, si possint, Principes morborum a confinibus imminentium funesta subditis contagia! Medica Chirurgicaque scientia conspicuos Viros per Provincias undique collocent! Nosocomia exstruant! meliori omine dirigant! Officinis medicamentorum invigilari imperent, & alia denique multa pro Civium salute suscipiant; hoc unicum vero, uberrimam scilicet morborum originem, *extremam populorum miseriam*, dissipare, vel tolerabiliorem reddere praetervideant, & vix conspicua erunt Legum sanitati publicae invigilantium beneficia. Est quidem in omni Republica necessarius, & a nulla constitutione separabilis Civium ordo, quo inaequalis bonorum distributio diversas eorundem classes constituat; & ipse Rex Regum, Populus Romanus, quamplurimos, quibus angusta res domi erat, sub ipso virtutis & libertatis Imperio, contentus numeravit. Atqui cum suae cuivis Civium classi, aegritudines esse debeant, quales diversa apud singulas vivendi ratio inducit: oportet certe, uti divitum, sic & egenorum proprios, sub quovis Reipublicae systemate, morbos existere, neque certe de illis, qui ex inevitabili civicae disparitatis lege originem petunt, sermonem hic instituere conten-

dam ; ſed extremae potius egeſtatis, ſub qua pars maior & utiliſſima populorum convellitur, effectus in ſalutem publicam potiſſimos conſiderabo.

Non quieſcam (verba ſunt HENRICI IV. Galliarum Regis) non quieſcam, nec me Populorum Dominum fuiſſe gloriabor, niſi *Gallinam* menſae ruricula ſuae imponere, fractaſque laboribus vires laudabili alimento reficere potuerit! Non inane manſiſſet divini Principis propoſitum, niſi (heus ſortem impiam, quae Reges optimos perſequitur!) fanaticus furor ipſum adeo, cui menſam ſtraverat, populum invaſiſſet; niſi paricida manus ſacrilegum in Regii Parentis viſcera acuiſſet ferrum, & niſi invidia Magnatum odiumque Religionis, donec Poſteri virtutis tributum ſolverent, magnanimi Regis voluntatem pietatemque in ſubditos obſcuraſſet. Sed ad quem demum finem haec refero, AUDITORES, niſi ut quemvis ex Vobis convincam, TRAIANUM illum CHRISTIANISSIMUM verum felicitatis publicae punctum penetranti oculo dignoviſſe, atque ut monſtrem, quam vana ſint altiſonantia hodiernorum de creſcendis augendiſque Civibus Commenta, niſi hoc maxime principio, ſalutis publicae vera baſi, ſuperfundentur.

Extrema populorum egeſtas, quemadmodum vitiorum animi foecundiſſima parens eſt, ſic & generationis ipſum opus ad radicem corrodit; &

corpora Civium ad morbos innumeros disponit; quorum curam, sub melioribus etiam Artis salutaris praesidiis, difficillimam reddit aut impossibilem. Paucis utramque Dictionis partem argumentis dilucidabo, & cum quemvis ex Vobis tam magnae veritatis satis iam persuasum esse credam; facile erit, sine oratorio, quo destituor, talento, rem totam brevibus sic absolvere, ut ex Medicis etiam rationibus pondus novum pro sublevandis Plebis miseriis tot aliis accedat, & nova exultandi occasio sumatur, quod & nos a Principe regamur, in quo felix Hetruriae Populus HENRICI Aemulum agnovit, & cuius paterna in ultimam etiam subditorum classem animi adfectio morborum caussas, quas hic considero, ut Sol beneficus imbrem, dissipabit.

Virtutem, ex aulis profugam, agrestium tuguria hominum pro tabernaculo sibi elegisse, non est fabula. Sed quae splendidis ambitiosorum Palatiis valedixit simplex amictu Divinitas, haec raro sub tectis colitur, quò dira fames refugit, & quae desperationi sunt pro habitaculo. Cui nullum cum societate, in qua ipsi vivendum est, nisi denegatae toties commiserationis, vinculum manet, hic facile tenuissimum filum, quo vix adhuc Civibus sibi invisis connectitur, sub involuntariis angustiae convulsionibus, desperabundus disrumpit; non nisi de propria existentia sollicitus, legibus, quae sibi soli non prospiciunt,

maledicit, &, communis licet hominum Parentis aeque filius, orbe tamen exul, amissae partem naturalis haereditatis, quo potest modo, vel clandestino, vel aperto, sibi revindicare contendit: in hoc, malitia supplet impotentiam; in illo, ignorantia &, obtuso per miseriam humanitatis quovis sensu, aucta stupiditas, ferociam secundat, & sic virtus, solidissimum, sed unicum publicae securitatis fulcrum corruit, vitiorumque animi genus omnium, fatali Reipublicae omine subintrat. Exempla in variis adhuc Europae Provinciis occurrunt. Diviso quovis potentiores inter atque divites Reipublicae agro, disparitas *Plebeiis* ab ipsis *iumentis*, alia vix superest; nisi quod haec praecedant, trahantque aratra; illi dirigant atque sequantur. Exspectabimus forte, ut, sub tam servili, atque a quavis possessione exclusa Civium conditione, maior sit eorum, quam quibus se dignitate vix non posthabitos conspiciunt, domesticorum animalium in Patriam propensio? ut emaciata in defensionem foci, qui ipsis non ardet, aequali tendant robore brachia? ut generatione prolium, subsistentiae impossibilitatem propriae augere contendant? ut natas, frigido sinu, cum amore foveant, educent? ut periclitantes morbo, ad maiores vitae, ad aequales Parentum miserias conservent? ut Filios, legum, quibus Patres naturali Civium iure spo-

liantur, reverentiam; – ut virtutem; quae non nisi contumelias, vituperationem, inediae iugum, mortem denique ipsam, ab aliis patienter recipere iubeat, cum perseverantia doceant? Ab hac tam deplorabili apud miseros Africae incolas constitutione prolium in servitutem dirissimam venditio! ab hinc tot innocentium puerorum victimae; quos crudeles Asiae Genitores voluptuosis tyrannorum gynaeceis, & heus ipsius adhuc Italiae diversae Provinciae totius Europae Amphitheatris quotannis nefando ferro sacrificant! hoc ex fonte centenae manus ad horrendos quosvis ausus, & ad quaevis homicidia, solius ad auri adspectum paratae! haec denique summa rerum ad vitam necessariarum inopia est, quae animos ad vilia quaevis officia disponit, quae mentes hebetat; alienat; quae Parentum in Filios, Filiorum in ipsos Genitores amorem mutuum extinguit; quae reverentiam in Principem, in Leges, in ipsam adeo Religionem, subvertit & suffocat.

Ex tam violento ultimae rerum penuriae in mentes Civium influxu, difficile non est, ad quaevis corporum vitia hoc ex fonte oriunda, concludere: ipsa enim physica hominum constitutio quantum non ab animorum dispositione dependet?

Sua cuivis Civium classi, ex vivendi ratione deducta sanitas est, & morborum natura. Sunt Aulicorum procerumque aliae, sunt Mili-

tum ; ſunt Literatorum ; Artificum ſunt variae & propriae adfectiones, quarum ſingulae ſpecialem ſibi Medicorum inquiſitionem promeruerunt ; ſed morborum, ad quos inedia Gentium, & commodorum vitae omnium defectus diſponit, tanta ubertas conſpicitur & copia, ut non niſi *primae* eorundem *lineae* brevis Orationis ambitu poſſint comprehendi.

Qui mortis humanae generales cauſſas ſummatim indicare contenderunt ; illi divites crapula, inedia pauperes iugulari pronunciaverunt ; ſed pulchrius, quam vere haec dicta ſunt : nam ſua egenis quoque, rerum nempe indigeſtibilium, repletio, nec tam ſimplex, apud utramque claſſem, interitus ratio eſt. Vix utero conceptus futurae miſeriae Embrio, quantis non mox calamitatibus exponitur, in quibus hoc ſolum ipſi felicitatis in vita conceſſum eſt, ut ſic neſcius in malam ſortem praeparetur! Exhauſto ſeminatus agro, vix primos foetus per animales Placentae radiculas ſuccos attraxit, cum iam per impoſitos male nutrito corpori materno labores improbos concutitur impotens & evellitur ; vel neceſſario fruſtratus alimento, maternos inter planctus & ſuſpiria marceſcit, antequam maturuerit. Quoties non praegnantes utero mulieres ad opera viribus longe ſuperiora, ſuſtentandae familiae dira neceſſitate coactas, prono in terram

corpore cum impetu solum effodere; fossas exstruere, cerealia sub ardentibus meridiani Solis radiis excutere, immani humeris, capiti, pondere imposito obrui, - quoties non, in oryza colenda, stagnantibus aquis, sub quavis caeli intemperie, ad genua usque immersas incurvo & repente quasi corpore zizaniam terra; & heus saepe nimis propriam sic utero prolem evellere videmus! Cum abortus partusque praematuros, quorum mihi notitia per multos satis annos a singulis *Spirensis* Principatus Obstetricibus exacta tradebatur, calculo quondam subiecissem, obstupui, quibusdam pagis quovis anno longe maiorem illorum, quam aliis eiusdem ditionis locis, esse copiam. In tam sinistri eventus caussam inquirens, mox in *servitute* inveni, qua mariti officialibus operis multoties detenti, uti quosvis labores domesticos, sic & agrorum, pratorumque culturam, illis in pagis difficiliorem, uberioremque, uxoribus ad ultimos usque praegnationis menses relinquere coguntur. Atqui dum iumenta utero gestantia ab intensis laboribus omnino prohibent, ne pullos equi vitulumque vaccae, possessoris damno, praemature excludant: humanas contra, Civis primordia ferentes foeminas, vel crudeli inedia perire, vel fertile matris corpus iugo submitti oportet.

Sed mala prioribus peiora parturientem exspectant. Viribus per victus inopiam, per labo-

res improbos exhauſtis, ad magnum opus languens accingitur: Obſtetricis temulentae vel ignorantis manibus commiſſae deſunt conſilia, amicarum aſſiſtentia; commiſeratio; & cum caetera animalia vel ſolitarium ſaltem angulum habeant, in quo, ab atmoſphaerae iniuriis defenſa, foetum deponant; humanae foeminae, Patriae Civi, frigidiſſimo ſaepe & vix non aperto in loco, vel inter pecudes, labor hic ſubeundus eſt: ſub quo, ſi vel minima & a ſola natura non ſuperanda occurrant obſtacula; victima cadit, & cum prole adhuc rubente, priusquam anhelaverit, extinguitur.

Sed felix eſto foetus excluſio! quam varia puerperarum diſcrimina non ſuperſunt, niſi maior earum cura, quam pauperculae Civi praeſtari ſolet, haberi queat! Quot non ex partus reliquiis in utero detentis, vel audaci Obſtetricum conatu violenter extractis, – ex proliferi viſceris atonia, ex ſpaſmis, haemorrhagiae, lipothymiae ſequuntur! quas non linteorum & neceſſariae munditiei defectus, refrigeria partium, vel aeris corruptio, febres puerperalium nomine infames, – quot non praepoſtera, ad ſubeundos labores domeſticos, lecti deſertio, vaginae, uteri prolapſus, poſt ſe relinquit!

Aſt ab hoc ſaltem, dicetis, mulierem defendet miſeria, ne mammas puero, cum damno ditioribus foeminis tam infenſo, recuſet?... praeſentabit utique!... ſed lacrymas genitricis ſu-

per filium ruentes adſpicite ! . . . collapſa ſunt ubera , fons vitae areſcit ! exhauſti ſunt canales ! quid voluntas matris , quid in prolem amor , quid raucus ſitientis pueri clamor & vana ſuctio hic poſſunt ? Secernant vero aliquem iunioris & adhucdum minus exhauſtae mulieris ubera liquorem niveum : quam cito haec ſecretio , aut per continuos , a labore immoderato mox a partu iterum ſuſcepto , ſudores diſperditur , aut quam ſaepe in totius materni corporis tabem , quam *lacteam* vocant , continuat ! Matertera , urbium incola , proprias alienis mammis ſupplere anhelans in medium nunc prodit , & uberiori victui proſpiciens , nutricis ab ubere prolem divellit ; peregrinum , crudeli contagio non raro contaminatum , ſubſtituit ; abdicatur infelix & ad duriorem , quam tenellus ſtomachus perferat , cibum condemnatur . Langueſcit , conſumitur miſer , & matris viſcera commovet : papillam haec furtim reſtituit , & vel venenum , quod in maritum iam transfudit , & proli ſuae inſtillat , atque promiſſum alteri rapit alimentum ; vel utriuſque pueri labro brevi ſpatio exhauritur .

Sed alienis mater non vendat buccis ubera : coget tamen aut lactis , laboribus nimiis conſumpti , poſt paucos menſes parcitas , aut ipſa genitricis a prole frequens ſeparatio , duriores puſioni cibos praeparare . Ad pultem hic Germanae mulieres , ex lacte & tritici farina , - noſtrae ve-

ro ad maſſam longe tenaciorem; ex aqua & frumenti turcici polline paratam, eo cum effectu confugiunt: ut indigeſtibilis haec & a debiliori ventriculo vix ſubigenda, hinc non niſi in gluten tenaciſſimum, fermentans & acidum, convertenda materia, continuo devorata, innumera parvulis incommoda, flatus, tenſionem abdominis, tormina ventris, vermium evolutionem copioſam, glandularum denique meſenterii inſuperabiles obſtructiones, atrophiam, rachitides, hydropem, convulſiones, & ipſam denique mortem, ſaepe numero inducat.

Tantum vero abeſt, ut genitores miſeria oppreſſi filiorum interitu magnopere percellantur; ut triſtis potius experientia docuerit, puerorum Brephotrophiis commiſſorum partem fere maximam a legitimis adeo parentibus fuiſſe expoſitam. Quare morborum infantilium cura, qua prolium vitam alio, quam ſolius naturae auxilio tueri velint, vix ulla apud plebem exſpectanda eſt. Finem, inquiunt, malorum, morte inveniunt: nec verius quid, nec pro Republica fatalius dicere poſſent, niſi numerum filiorum finire, maius adhuc ſit, & communius flagitium. Ecquid miſerrimi homines, inter pecudes enutriti, & adinſtar illarum, ſine humanitatis, literarum, aut Religionis principiis educati, cum de propria exiſtentia ſeſe periclitare quotidie ſentiunt, de ſervanda prole, antequam ipſa ſibi victum procurare queat, cogita-

bunt? In hac terribili veritate latet incredibilis illa mortalitatis apud infantes in Provinciis ratio quam maxima; & in hac quaerendae sunt Medicorum in servandis pueris impotentia, & strages infantum annuae, quas levior quaevis epidemica constitutio offerre consuevit.

Nec tamen haec sola fertilissimarum licet Provinciarum devastationes & populationis vel decrementum vel lentorem, satis explicant; licet haec ex eodem semper principio, utilissimorum nempe Civium extrema miseria & servitutis specie, repetenda videantur.

Vix pueritiam attigerunt egestatis filii, cum, genitorum inopia coacti, durioribus semet laboribus accingere, &, succos nutritios, qui futurae corporis evolutioni destinandi essent, sudoribus difflare iubentur: abhinc proceritatis, symetriae & naturalis perfectionis, - abhinc speciei humanae, hac in Civium classe, in domesticis etiam animalibus conspicua, degradatio, ut quae immaturis laboribus adstricta, pusilla manent, & corporis elegantia, robore & naturali excellentia defraudantur. Quare ex vultu, & ex membrorum rigiditate, *virum* saepe diceretis adolescentulum rusticum, qui, puer, iam ad virilia compulsus servitia, in massam extendi nesciam, aetate solidiorem, compactus est. Nec tenero parcit dira necessitas sexui; sed filias eidem cum fratribus iugo submittit, &, ad seriora matrimo-

nia iam condemnatas; inflexiles corpore reddit, & ad partus difficillimos praeparat.

Labor a vita illorum inseparabilis, quibus agrorum colendorum nobilis cura relinquitur, tantum abest, ut sanitati obesse possit, ut potius corpora abinde firmari, & morborum, quos otium, passiones animi, & ingluvies Urbium producunt, cohortem eodem averti oporteat. Ubicunque agricolis aliqua rerum proprietas, bonorumque possessio concessa est, ubi lucrum aliquod labores compensat, & nascentis familiae sustentationem secundat: ibi & sanitas Populi, non minus agro, quem colit, florere observatur. Ast vero dum victus natura aut quantitas non restituit, quod per illum a machina humana deteritur quotidie & per sudores consumitur; nemo est, qui hanc ipsam brevi tempore collapsuram esse, fateri ab experientia ipsa non cogatur. *Populus servus*, *Populus cachecticus est*, nec vanum liberi hominis nomen cuiquam hic imponet, qui tabem ex facie universae laborantium classis iam primo adspectu agnoverit. Pauco, eodemque non fermentato pane semi nutritus, solis iam ante ortum, ad grave onus sese accingit Agricola, & sub ardentibus solis radiis emaciato corpore solum vertit non suum, vitemque colit sibi soli ingratam: labuntur brachia, sicca palato lingua haeret, consumit fames: pauca oryzae granula & faba, aqua macerata exspectant miserum, qui-

bus nec illud quidem, nisi parcissima manu, condimentum misceri potest, quod natura tam largiter mortalibus exhibuit; ut & longe maximam telluris superficiem eodem circumdederit, & ipsa terrae viscera abundanter impraegnaverit. Pauca noscuntur animalia, quae *salis* a victu non delectentur, eundemque non vehementer desiderent: neque vanus iste naturae instinctus est; sed digestio animalis ab hoc condimento mirum quantum promovetur, & apud pecora, boves, moderata & hinc inde cum alimentis porrecta salis portione quamplurimi morbi praecaventur. Apud hominem vero tanta salis necessitas observatur, ut rarissimi sint Populi, qui eodem abstinere creduntur; sed forte cineribus carnes igne torrent, aut maris aquis ebulliunt, aut has ipsas subinde gustant, aut demum piscibus utuntur muria conditis. Quo viscidior autem, vel quo magis glutinosus, digestuque difficilior victus est, eo salis urgentior redditur usus: cum ab hoc ipso ciborum praepostera retardetur in ventriculo fermentatio, pastacea facilius solvatur moles, & tum fibrae, nervique stomachi ad naturales functiones, tum exhalantia vasorum oscula ad maiorem gastrici excretionem succi excitentur. Hinc facile videmus AUDITORES, pretium pro condimento tam necessario nequaquam posse augeri & moderatum salis usum pauperibus praescindi, quin aperto salus eorundem exponatur periculo, & quin leve, quod aucto ex salis pretio redundat, lucrum, optimorum

Civium, & ipſarum adeo beſtiarum domeſticarum mortalitate aucta, manifeſto Reipublicae damno tollatur (*). Victus autem inopia & qualitas nutriente deſtituta principio, quemadmodum corpora Civium ad peragendos cum aliqua conſtantia labores reddit inepta; ſic & pro ſuſcipiendo morborum quovis fomite diſponit. Quo debilius, & quo curis exhauſta magis humana machina eſt: eo quoque citius, in ſitientem quaſi ſpongiam, miaſmata, contagiaque penetrant. Hinc fames, agrorum aucta ſub infelici ſydere ſterilitas, pediſſequas ſemper in Provinciis Epidemias agnoſcit, quae non tam ex ipſa ciborum pravitate, quam ex fatali corporis ad recipienda morborum ſeminia aptitudine derivandae ſunt. Medici, Chirurgi, Militum Praefecti, Confeſſores, licet in corrupta aegrotantium atmoſphaera verſentur, atque iiſdem vicini adſiſtant; rarius tamen, quam pauperes, & emaciati, animique viribus deiecti Cives, Milites, a contagio afficiuntur; & in Peſte demum ipſa, quae, hoc in ſaeculo Marſilienſes afflixit, cum, ob maximam mortalitatem, deeſſent, qui diſperſa per plateas cadavera levarent, ſepelirent, condemnatis pridem ad remos hominibus, meliori ad haec nova officia victu & lucro inſtructis, licet ipſis mortuorum veſtimentis

---

(*) Vid. Medicinische Policey III. Band. Abſchn. V. §. 3.

fese ornarent, finiftri nihil evenit. Sic quivis fere morbus epidemicus aut contagiofus, apud miferiorem Populi claffem & exoritur, & quam maxime dominatur, & eradicatur tardius, ita ut levior etiam anguftiori loco reclufa adfectio, hyberno inprimis tempore, quo, cum frigore, aurae etiam vitalis allifionem avertere ftudent, in funeftam mox, carcerali nofocomialique febri fimilem aegritudinem terminetur, & in affines; & in amicos miferia exhauftos, praedifpofitos, propagetur. Quae, fub tanta corporis nuditate & refocillantis defectu foci, a fummo gelu, - quae ex habitationibus fuliginofis & impuris, - quam foedi cutis morbi a neglecta corporis munditie, & a tranfpiratione per anguftias continuas languente, miferioribus fint fere proprii; haec non nifi verbo hic attingo. Tantis vero oppreffa morborum cauffis paupertas, quantis non mox, eifdem fuccumbens, calamitatibus exponitur! Tremulis iamiam a febre artubus ad graviores adhuc labores, uxorem, filios fuftentatura, vacillat, donec tantae fub miferiae pondere exficcum corpus profternatur. Medicum forfitan accerfit, venientis opem implorat: Medicinam, alimentum aptius, affiftentiam, egeftas denegat; perduntur dies & falvandi occafio; Nofocomium vero, fi quod pateat, vix intratur, quam ut a funeralibus eximatur familia. Quod fi etiam maturior hoc ad refugium acceffio fuerit; in quam-

plurimis tamen Nosodochiis contagiorum tanta observantur pericula, tam crudelis miserorum neglectio: ut mortalitatis ratio, communem insigniter superet, & maximo aeris publici dispendio & illud Civium superaddat, dispendiorum quam flebilissimum. Nec minora sunt reconvalescentium apud miseriores discrimina: quibus scilicet neque ullus ciborum delectus esse potest, neque virium desiderata restitutio, neque animi demum corporisque requies: ut, qui ex acuto vix morbo restituti videantur, ex inanitione nunc tabescant, & chronicis adfectionibus lento cruciatu perimantur.

Hic est extremae in Populos miseriae, hic luxus undique aucti, hic Magistratus de Civium utiliorum salute parum solliciti influxus est. Quodsi viventium undique augere numeros vera cupido sit: existentiae suae, Parentem, Prolem, certos esse iubeant; rerum ad vitae usus necessariarum pretia, ultra, quam labore, sudoribus exsolvi possint, augeri non sinant; infamem humanitati *servitutem*, &, quae ad hanc proxime accedit, Agricolarum ab omni proprietate & possessione exclusionem vel positivam, vel ex insuperabili inopia dependentem, auferant; ut paucis dicam, HENRICI Regis in subditos votum compleant! *Populorum miseriam, potissimam morborum genitricem*, procul a Provinciis expellant! & robusta & copiosa ex foecundo matrum alveo prodibit proles, nervoso brachio exculti ridebunt campi,

redibunt ad Urbes morbi luxuria exhaustas, & gaudia, virtus, Patriae dulcis amor, & pristina Civium firmata laboribus salus restituetur.

Sed Vos nunc adpello, Viri iuvenes, Te ALOYSIUM MAZZONI, Te PETRUM BANDIERA, Te IACOBUM TROVATI, ut supremi honoris, laeta hac die, in virtutis atque diligentiae vestrae praemium suscepti signa ex manibus meis publice consequamini! Venite o Boni! *Laurea Apollinis* doctam frontem exornate, & *Coronam Civicam*, sine cuius connubio altera mox languet atque flacescit, mereamini!... *Annulis* circumdate digitos, & sicut sponsus, hoc simulacro, dilectae fidelitatem, assistentiam, defensionem spondet uxori: sic Vobis miserorum classem ubique amplissimam in auxilium, opem, desponsatam agnoscatis!.... *Librum* denique *adperio*, ut Vos moneam, post vestrum ex Academia secessum, non ideo doctis esse lucubrationibus valedicendum. Eundem *claudo*: sic Vos, quod natura aliter Vos docuerit, naturae magis, quam libris, credite! Ultimos nunc Viri Vos amantis amplexus suscipite, & quod Filii Parentibus debent, hoc mihi, hunc titulum ambienti, Patrisque functo per annos in Vos officio, hoc solatium concedite: *ut Reipublicae utiles sitis, ut sitis felices!*

W. X. JANSEN

PHIL. ET MED. DOCT.

DE

PELLAGRA,

MORBO IN MEDIOLANENSI DUCATU ENDEMIO.

Lugduni Batavorum 1787.

INTRODUCTIO (*).

DIversus in diversis climatibus apparet homo

(*) Non recudendum putassem hunc de morbo apud *Insubros* endemio conscriptum ab extero Medico libellum: quod nempe ob brevissimum, quod Auctori cum aegrotantibus intercessit commercium, obscurioris morbi naturam rectius diiudicare & curae eiusdem aliquid superaddere vix potuerit. Sed cum nihil nobis deesse debeat, quod vel ab Exteris etiam de hac singulari prorsus aegritudine aut cogitatum, aut coniectura saltem discussum fuerit; eo libentius huic Dissertationi aliquem hic locum concessi, quod non inutilem morborum, *Pellagrae* aliquomodo consimilium,

(*a*) ; *variis victitat alimentis*, *vario sese ornat vestitu*, *varium inhalat aerem*, *solum calcat varium*, *labori vario*, *variis quoque sese submittit moribus*. *Quid mirum itaque*, *si morbi in diversis terrae plagis quoque varient*, *ut expe-*

---

cum hac ipsa comparationem instituerit Cl. JANSEN, & quod Insubriae Medicis circa hunc morbum occupatis, non ingratum esse crediderim, aliorum etiam hac super materia opinionem percipere. *Notulas* Opusculo, licet occasio multiplex fuisset, addere nolui: meretur enim summa morbi gravitas, ut quondam maiorem eidem rectius describendo operam impendam, & ut, quod muneris mei ratio postulat, curationis felicioris vias hucusque abditas detegere satagam. Nosodochium, quod pro miseris hoc morbo adfectis agricultoribus in loco *Legnano*, CAESARIS, nobis crudeli fato erepti, iussu exstructum fuerat, EODEM iubente, clausum est: ut divisi per quinque alia Ditionis huius Nosocomia aegroti *Pellagra* adfecti, Medicorum diversorum methodos diversas experirentur, & ut plurium sic labor & industria ad citiorem morbi cognitionem aliquid conduceret. Hoc unum addo, paucos ante menses *Pellagram*, & *Paduano in Agro* visam & a dilecto quondam Auditore meo, D. Doctore FRANCISCO FANZAGO egregie fuisse descriptam. *Vid. Memoria sopra la Pellagra del Territorio Padovano*. Padova 1789. in 4°

(*a*) Sunt autem in Europa gentes tum magnitudine, tum forma, tum magnanimitate inter se differentes, inquit HIPPOCRATES *in lib. de aere*, *locis*, *&* *aquis*. *Edit. Foes. Genev.* 1657. *pag.* 294.

rientia ab omni aevo satis docuit (*a*), *ac indies de novo confirmat*. *Sic Trichoma Polonos vexat*, *struma deturpat Alpicolas*, *Elephantiasis & Lepra Africanos* (*b*), *sarcocele in Regnis Galam & Barrah frequens est* (*c*), *Helvetii prae caeteris Herniis laborant*. *Et si rem diligentius examinemus*, *nulla forte regio erit*, *quae non in unum alterumve morbum peculiariter inclinet*.

Verum inter omnes endemios morbos nulli forsan sunt, *pauci certe*, *qui tantam attentio-*

Y 2

(*a*) Hinc iam olim voluit HIPPOCRATICUS Auctor, ut Medicus regionum singularium situm & Naturam cognoscat *in lib. de Diaeta lib.* 2. *Foes. pag.* 353. Quod pulchrius & prolixius explicat Divus Senex in *lib. de aere*, *loc. & aq. ibid. pag.* 280. Idem CELSUS monet in *Praefatione lib. I.*

(*b*) Est Elephas morbus, qui propter flumina Nili
Gignitur Ægypto in media, neque praeterea usquam;
inquit LUCRET. *lib.* 6. *de Rer. Nat.* Quae tamen Poetae verba cum grano salis accipienda sunt, cum aliae quoque regiones ab hoc liberae non semper manserint. Nullus tamen dubito eum Africanis annumerare, cum quocunque etiam loco repertus fuerit, illuc ex Africa venisse videatur. Quod hic per transennam.

(*c*) SCHOTTE in *Philosophical Transactions Vol.* 73. *Part.* 1. & quae Cl. BLUMENBACH ex BARBOT adduxit in recensione huius Partis in sua *Bibl. Med. T.* 2. *pag.* 642. & seq. Ubi etiam iconem huius morbi inspicere licet.

nem merentur, quam ille, cui vulgo Pellagrae nomen est, quique Mediolanensibus rusticis tristissimam stragem minitatur.

Quem morbum, cum novus videatur, ac adeo incognitus nostris in regionibus, ut eruditissimi Medici nomen Pellagrae vix cognoscant, hic breviter describendum mihi sumpsi, ut fortassis, si plurimi in arte eruditi rem speculentur, immedicabili hucusque morbo tandem Medicina reperiatur.

Nolim autem, quis descriptionem Pellagrae numeris omnibus absolutam a me postulet. Incognita morbi indoles; ac temporis, quod in hoc Ducatu consumere mihi licuit, brevitas id prorsus vetant. Nec tamen ingratum fore arbitror, ea, quae aut ipse vidi, aut ex ore Clarissimorum virorum FRANK, MOSCATI, STRAMBI *aliorumque percepi, paucis enarrare.*

Ut autem rem ordine aggrediar, in septem Capita tractationem dividendam credidi. In primo *de morbi huius nomine, definitione, antiquitate agam: in* altero *morbi descriptionem exhibebo: in* tertio *de Divisione eius: in* quarto *de Caussis: in* quinto *de Complicatione cum aliis morbis: in* sexto *de Prognosi dicam: in* septimo *demum, quae de curatione dicenda sunt, absolvam.*

Stili simplicitatem nullo elegantiae fuco commendatam L. B. excuset, velim.

DE

PELLAGRA,

MORBO IN MEDIOLANENSI DUCATU ENDEMIO.

CAPUT I.

De Pellagrae Nomine, Definitione, Antiquitate ac Pellagrosorum Nosocomio.

Nomen Pellagrae graecae videtur originis (*a*), ita tamen hac in regione notum, ut vix sit, qui audito nomine, morbum non cognoscat. Sunt etiam, qui eum *mal del Sole* appellant.

Optime eum definiri arbitror, quod sit morbus endemius, verno tempore macula rosea in dorso manus plerumque se primo manifestans, hyeme disparente, sed quae sequenti anno haud raro gravioribus stipata symptomatibus recurrit,

(*a*) Auctor vocis, eius origo, ac Etymologia aeque incerta videntur. An à *πέλλας*, ut *ἐρυσίπελας*?

tandem melancholia, mania fpafmifque comitata; mortem vix non femper inferens.

Ad quam morborum claffem in recentiorum Nofologiae fyftematibus reponi nofter morbus debeat, non fcrupulofe difquiro: utrum Leprae Mediolanenfis nomine eum falutare, an potius inter Ephelides, an inter Melancholias recipere velint, indifferens.

De Antiquitate huius morbi inter Medicos Mediolanenfes non parum difputatur. Novum alii, alii iam multis ab hinc faeculis cognitam fuiffe Pellagram volunt: eadem fere lis eft, quae de morbo venereo. Si fcripta veterum pervolvamus, nihil, quantum novi, de eo adnotatum reperimus. Quin & noftro tempore vix defcriptus eft, & Auctores, qui de eo typis aliquid mandarunt, tum incompletas defcriptiones prodidere, tum hae in noftra Patria adeo rarae funt, ut nec in Catalogis, nec in Bibliothecis habeantur. Sunt autem, ut mihi relatum fuit, fequentes: GIO. MARIA ALBERA (a*), MICHELE GHERARDINI (**), P. MOSCATI, qui au-

---

(a*) *Tr. Teor. Prat. delle malattie dell' infolate di primavera volgarmente dette la Pellagra*. Varefe 1784.

(**) *Della Pellagra defcrizione di* MICHELE GHERARDINI. Milano.

tem plura de novitate, quam de morbi indole refert, & FRAPOLLI (*a*), qui primus, ut in-

(*a*) Priores tres Tractatus videre mihi non licuit, & frustra eos in Bibliopoliis Mediolani quaesivi: solum FRAPOLLI libellum ex auctione librorum viri Cl. I. N. CRANZ possideo, qui sub titulo *Physici* FRANCISCI FRAPOLLI *Mediolanensis Nosocomii maioris Medici Animadversiones in morbum vulgo Pellagram*, Mediol. 1771. in 8vo sat mancam Pellagrae descriptionem 37. paginis comprehendit. Praeterea nuperrime amicissimus mihi Doct. C. G. VAN DEN HEUVELL brevem huius morbi descriptionem, a Doct. HOLLENHAGEN Medico Mittaviensi meo itineris socio sibi communicatam dedit in novo suo systemate Nosologico, cui titulus: *Tentamen Nosologicum sistens morborum a vitio vis vitalis divisionem & dispositionem practicam a maxime fundamentali morborum parte, quantum per abditam multorum Naturam licuit, desumptam, pro gradu Doctoratus defensum L. B.* 1787. *pag.* 415. Ubi hunc morbum, dubitanter tamen, inter eos collocavit, qui ab actione vis vitalis morbosa anomala ortum habent. His tamen, ni fallor, addenda videtur Cl. THIERI descriptio morbi cuiusdam, qui in Hispania Asturiae incolas infestat, ab illis *Mal de la Rosa* appellatus: facta enim accuratissima comparatione morbum hunc *Mal de la Rosa* dictum, aut eiusdem plane Naturae, aut Pellagrae valde similem esse affectionem, mox apparet. Aliqua tamen differentia adhuc intercedit. Sic Asturiensis morbus cutim magis defoedare videtur, quam Pellagra. Tremor ille capitis ac trunci superioris, quem aegros impedire scribit Cl.

quit (*a*); de eo peculiariter scripsit. Nec tamen desunt eis, qui pro antiquitate dimicant, argumenta, quibus eam quodammodo probare annituntur. Inter Ordinationes, quae a capitulo Nosocomii maioris Mediolanensis editae sunt, habetur una Anni 1578., quae sic habet: *che quelli, che saranno infermi di Pellarella, Croste, Gomme, e Piaghe, siano accettati, avendo però il Mandato sottoscritto*. Vocabulum Pellarella Pellagram interpretantur. Quod dubium etiam proponit FRAPOLLI, dum inquit: *Declarent nunc eruditi, an terminus ille Pellarella Pellagram hanc nostram designet nec ne: si affirmative sentiant: non adeo recens erit morbi epocha &c.* (*b*). Ad me quod attinet, potius hic Pillarellam (*c*) quam Pellagram intelligendam crederem. Mi-

THIERI, quominus recti stare valeant, quantum novi, in Pellagra non observatur, aut saltem rarius. Nec oris ardor, ac labiorum ulcuscula Pellagrosos molestant. Descriptionem autem huius morbi dedit Cl THIERI in scripto Periodico Parisiensi, cui titulus: *Recueil Periodique d'Observations de Medicine, de Chirurgie, & de la Pharmacie à Paris chéz J. Barbon T. 2. pag. 337.*, qui 2us Tomus iam prodiit 1755.

(*a*) Lib. cit. pag. 10.

(*b*) Lib. cit. pag. 11.

(*c*) In Lue venerea, quando non solum superciliorum, sed & barbae & capitis partes pilis denudantur, Pelladam sive Pillarellam vulgus vocat. *Hasenreffer in Nosodochio cutis pag. 68.*

rum sane foret Medicos veteres; qui in describendis cutaneis morbis tantam collocarunt diligentiam, de hoc penitus tacuisse, cum inter eos non deficiant Itali. Frustra de eo aliquid quaeres apud MERCURIALEM, frustra apud FALLOPPIUM, frustra apud alios priorum saeculorum Auctores, ne dicam apud Graecos aut Arabes. Neque sub alio nomine nostri morbi decursum unquam a veteribus descriptum legi, quod factum fuisse credit Cl. FRAPOLLI (*a*). Sunt certe morbi cutanei ab antiquissimis Auctoribus iam descripti, qui aliquam cum nostro morbo similitudinem habent, si maculas cutisque asperitatem solas spectas; verum si reliqua horrenda symptomata simul conferas, toto caelo differunt. Pro novitate dimicat Cl. MOSCATI, qui certo mihi affirmavit, se ultra 30. aut 40. annos nulla infallibilia morbi huius vestigia unquam reperiisse. Contra Cl. STRAMBI longe antiqiorem esse morbum confirmat, cum saepe ex ore pellagrosorum ipse perceperit, parentes ac avos eorum iam ante 69. annos morbo hoc laborasse aut periisse. FRAPOLLI ex eo capite pro antiquitate dimicat, quoniam semper existit caussa eadem, subiecta eadem, cur ni iidem effectus? Cum autem multa sint, quae caussam, quam Auctor hic

(*a*) Lib. cit. p. 12.

pro certa ac indubitata venditat ; admitti penitus prohibent, corruit quoque haec argumentatio. Quidquid sit, id certum est, ante multos annos non tanta copia exstitisse pellagrosos, ac indies multiplicari, ita quidem, ut si coepto furore malum pergat, tandem depopulationis metus sit. Nam in plagis, ubi vehementissime saevit, inter centum incolas quinque pellagrosos reperiri, Cl. STRAMBI calculavit. Hinc quoque Imperator aegrorum saluti quam maxime prospiciens in Oppido quodam Lignanum (Legnano (a) itali scribunt) dicto Nosocomium pro solis pellagrosis construi voluit, quod quadraginta semper aegros continet, cui Medicus praeest Cl. STRAMBI, cui pro praestita nobis humanitate publicas hic grates refero. Verum ne & aliis Medicis occasio desit morbum examinandi, in omnibus Nosocomiis tam Mediolani, quam Papiae pellagrosos decem ad minimum admitti voluit Imperator. Atque ut in examinando hoc morbo Medicorum fervor magis

(a) Est hoc Oppidum 15. circiter milliaribus Italicis ab Urbe Mediolano dissitum versus Lacum maiorem ad Olonam Amnem, non confundendum cum alio in Ditione Veneta ad Atagem fluvium, cui idem nomen tribuunt Itali. Ad Nosocomium ipsum quod attinet, nihil habet peculiare ampla descriptione dignum.

incitaretur, praemia quoque promiſſa ſunt iis; qui aptam Pellagrae Medicinam invenient.

Ad accuratiorem morbi deſcriptionem nunc progredior.

CAPUT II.

Pellagrae eiuſque Symptomatum Deſcriptio.

Ineunte vere, menſe nempe Aprili aut Martio (ipſo etiam Februario in illis, qui prima vice malum patiuntur), ubi ad colendos campos Ruſticum tempus invitat, ſubito ſaepe accidit, ut in manuum dorſo rubor ſplendens ſeſe manifeſtet, eryſipelas aut roſam mentiens, abſque multo pruritu (a*), abſque magno dolore (a), abſque omni moleſto ſymptomate. Viri aeque ac mulieres, pueri puellaeque morbo huic ſubiecti ſunt. Plerumque haec macula manum utramque afficit illaeſo toto reliquo corpore; neque tamen hoc perpetuum eſt; haud raro etiam tibias occupat, aliquando collum, quin aliquando ipſam faciem, licet rariſſime: apud mulieres

(a*) Efflorescentiae latae non admodum pruriginoſae: HIPP. *Aph. 9. Sect. 6.*

(a) Hoc iterum Pellagra differt a morbo Aſturienſi, ubi dolorem magnum percipi, ſcribit Cl. THIERI.

nonnunquam supra ubera visa fuit; quousque vestibus non teguntur. Partes autem corporis aeri non expositae, immunes ab hoc vitio existunt. Nec unquam pedis planta, aut manus palma afficitur (*a*). Rubra autem haec macula cutim paullulum elevat, parvula varii coloris tubercula crebro elevantur, pellis exsiccatur, rimas agit, physiologo quandoque observatu non ingratas, cum epidermidis fibras clarissime ostendant (*b*). Desquammatur tandem corrosa cutis; deciditque in squammas albas surfuraceas: splendor tamen in loco desquammato aliquamdiu adhuc persistit, & in nonnullis tota fere hyeme splendet illa macula. Interim, exceptis defoedatis hisce partibus, toto tempore sanus permanet homo, rustica sua munia absque incommodo obit, opposita quaecunque appetit, comedit, digerit sine detrimento. Alvus plerumque laxa iam ab

---

(*a*) In Asturia autem abdomen, pectus, & aliaeque partes non liberae manent a *mal de la Rosa*. Verum si alias, quam metacarpum aut metatarsum partes corripiat, tunc non eo nomine ab Incolis appellari, monet Cl. THIERI. Sic ibi quoque haud raro singularis figurae monile repraesentat, quod tamen posteriorem colli partem ad musculum trapezium liberum relinquit.

(*b*) Non autem in omnibus pellagrosis fibrae hae distingui adeo clare possunt, raro talis casus sese offert.

initio morbi obſervatur ; & per totum Pellagrae decurſum eius laxitas continuari ſolet. Reliquae ſe & excretiones ſanae, ipſe menſium fluxus in pellagroſis foeminis, niſi alia ſubveniat cauſſa ; a iuſta periodo ac menſura non deflectunt. Sed, quod maxime mirum eſt, elapſo aeſtivo tempore, menſe Septembri, citius in aliis, in aliis ſerius, in nonnullis, praecipue ſi malum adhuc in cunis haereat, iam exeunte Maio ac Iunio penitus evaneſcit malum, redit cuti naturalis conſtitutio ac firmitas. Sed utinam penitus iam periculo vacarent miſeri! Abſcondit ſe hyeme malum, aufugit raro. Vix enim revertitur vernum tempus, mox quoque praeſto eſt priſtina macula, & quidem ſaepe peioribus nunc comitata ſymptomatibus. Incrementa capit morbus: magis rugoſa, calloſa cutis evadit, rimis referta notabilioribus. Capite laborare nunc incipiunt aegri, timent, moerent, labores minus ferunt, iiſque peractis inſignem ſentiunt laſſitudinem. Ad aeris varietates maxime ſenſiles ſunt, frigoris aeque ac caloris impatientes. Nihilominus ſua adhue munia ſubire plerumque valent, non equidem eo, quo ſolent animo, aſt lectum tamen petere nondum coguntur, cum febris penitus abſit, appetitus vigeat, viſcera chylopoietica adhuc ſana ſint. Etiam hunc in ſtatum cum devenerit Pellagra, apparens ſanitas hyeme plerumque re-

dit. Sed quo peiora symptomata sint, quo fortiores radices egerit malum; eo certius adventante vere iterum apparet maiori vehementia. Disparet aliquando cutaneum malum remanentibus reliquis symptomatibus. Vires nunc animi tum corporis indies magis prosternuntur; morositas, vigiliae, vertigines similiaque, ac tandem melancholia summa accedunt. Nunquam forte tristiorem melancholiam quis viderit, quam hoc in morbo. Nosocomium, quod Lignani est, ingressus, attonitus tristissimam hanc scenam adspexi, praecipue in cubiculo quodam, ubi foeminae asservabantur: sedebant omnes otiosae, languentes, vultu prostrato, oculis moerorem spirantibus, absque caussa lacrymabantur, interrogatae vix respondebant. Crederes primo obtuitu non nisi fatuas, ac dementes coram habere, nec multum a vero aberrares; sensim enim sensimque increscit haec melancholia, ac tandem in veram maniam abit. Multi peculiari ac characteristico quasi sudore perfunduntur, ut in dicto Nosocomio observare mihi licuit; sudor hic odorem spargebat foetidissimum, quem melius comparare non possum, quam illi, qui ex pane mucore correpto percipitur, ita ut peritus solo olfactu in illis morbum facile detegat. Multi ad plantas pedum ardorem sentiunt insignem, noctu saepe somnum auferentem. Alii visum duplicem, alii

fatuitatem ; alii viſcerum abdominalium obſtru-ctionem, alii alia patiuntur. Abeſt tamen adhuc febris, viget appetitus, ſecretiones plerumque naturalem adhuc ordinem ſequuntur. Sed indies augetur morbus, nervi quam maxime debilitantur, crura, femora motum omnem amittunt, accedit ſopor, delirium, atque melancholia nunc in veram maniam abit. In Lignanenſi Noſocomio in variis cubiculis tam virorum, quam foeminarum delirantes ac maniacos hos conſpicere licuit: alii ſine furore tranquille cubabant; alii vero furioſi, ne ſibi aliiſque nocerent, chordis lecto affixi haerebant; in his fere omnibus pulſus erat parvus, tardus, abſque omni febris indicio. Una aderat foemina furoris uterini levioris ſpecie laborans; haec ad adſpectum viri maxime laetabatur, ridebat, oſcula offerebat, & omni geſtu, ut appropinquaret, invitabat. Nec deerant, qui continuis precibus occupati devotionem inſignem ſimulabant, alii riſu delectabantur, alii aliis. Sed id notatu dignum videtur a Cl. MOSCATI obſervatum, quod in hac mania delirantibus omnibus aquis ſeſe ſuffocandi voluptas ſumma ſit, in quo convenit cum melancholia Anglorum Sauvageſii & Sagarii. Emaciantur ſummopere & tabis ſpecies ſaepe delirium preſſo pede inſequitur. Diarrhoea accedit colliquativa, nullis ſupprimenda remediis, & quidem haec

diarrhoea inter conſtantiſſima Pellagrae ſymptomata pertinet, quod mirum nemini videbitur, cum in melancholiis, praecipue iis, ubi ſingularis triſtitia mentem exagitat, ut etiam in Noſtalgia, frequentiſſime diarrhoea ſcenam claudat. Sic in exercitu Boruſſico ſaepe Noſtalgiam aut triſtitiam diarrhoea lethali terminatam vidit Ill. BALDINGER (*a*), & quem hic citat, BAGLIVIUS (*b*) incurabiles fere has diarrhoeas pronunciavit. Quandoque in pellagroſis haec diarrhoea delirium antecedit. Facilis quoque ex delirio tranſitus in ſoporem, & vice verſa. Appetitus quandoque ſubito evaneſcit, ita quidem, ut ſex dies non raro abſque omni cibo tranſigant; non raro ſubito redit, & ſanorum adinſtar in deplorabili hoc ſtatu oblata quaecunque conſumunt, quin aliquando inter horrendas convulſiones a cibis non abhorrent. Convulſiones autem, quibus miſeri hi corripiuntur, viſu ſunt terribiles, & nulla forte convulſionum ſpecies exiſtit, quae non quandoque pellagroſos adoritur. Sic vidi puellam in lecto cubantem, quae quotieſcunque erigere ſe volebat, opiſtotono vehe-

(*a*) *Von der Krankheiten einer Armee. Langenſalza* 1774. *pag.* 454.
(*b*) De Praxi Medica lib. I. cap. Diarrh. & Dyſent.

vehementiſſimo torquebatur ; alii emproſtotono, alii aliis tetani ſpeciebus ſuccumbebant (*a*). Tandem animi deliquium, & demum mors deſiderata tragoediam claudit, quin ſaepe febris veſtigia toto morbi decurſu habeantur.

CAPUT III.

Diviſio Pellagrae.

Enarrata nunc morbi Hiſtoria, patet, Pellagram commode, ut iam animadvertit Cl. FRAPOLLI (*b*), in tria dividi poſſe ſtadia. In *initiatam* nempe, in *confirmatam*, *deſperatamque*.

Initiatam voco, ubi abſque reliquis ſymptomatibus macula illa rubra, ſplendens ſeſe oſtendit in carpo aut partibus ſoli expoſitis, ubi cutis rimulas agit, ac in ſquamas decidit furfuraceas. Durat hoc ſtadium in nonnullis per plures annos, ita quidem, ut reperiantur, qui ſex, octo imo quindecim annis in primo Pellagrae ſtadio verſantur, diſparente omni hyeme

(*a*) De Catalepſi tamen dubito, an unquam in noſtro morbo obſervata ſit: ſaltem nihil de ea audivi, aut adnotatum inveni. Verum an haec inter morbos convulſivos pertinet?

(*b*) Lib. cit. pag. 19.

malo, ac verno tempore recurrente: tuncque rustici diuturnitate morbo adsueti, penitus saepe negligunt malum, quod praeter cutis defoedationem vix aliquid incommodi affert. Sed non omnes fruuntur hac felicitate: sunt enim contra, in quibus mox altero: tertiove anno in confirmatam Pellagram transit.

Confirmata autem Pellagra est, ubi priori symptomati, quod iam exasperatur cute callosa existente, rimasque profundiores agente, iunguntur timor, moeror, vigiliae, lassitudo &, malo in desperatam vergente, mentis oblivio, deliria hypochondriaca, alvi fluxus copiosior, mania, virium defectus. Ubi autem comatosae simul affectiones, febris, convulsiones, diarrhoea colliquativa contumax, summa corporis macies, tabis species, ac animi deliquium accedunt, *desperatum* penitus malum, & certa mors brevi exspectanda est.

CAPUT IV.

De Caussa Pellagrae.

Nihil in Praxi Medica difficilius, nihil obscurius ac falsis hypothesibus, commentisque magis defoedatum adhuc hodiedum existit, quam caussarum Doctrina. Tot Physiologorum, tot

Anatomicorum obſervationes, quibus recentior Medicina ſuperbit, licet Peripateticorum occultas qualitates, Chemicorum fermentationes, Mechanicorum diſtenſiones, relaxationes ſimiliaque e Doctrina Medica fere expulerint, cauſſam tamen proximam plurimorum morborum enodare nondum valuerunt. Quot non morborum genera noſtris etiam temporibus humorum corruptioni, acrimoniae &c. adſcribuntur, in quibus nihil eiuſmodi exiſtit? Ut autem in omnibus fere corporis humani affectibus cauſſa proxima latet, ſic quoque in Pellagra. Id tamen, ſi ſymptomata diligentius perpendam, affectum eſſe aut per nervos cerebrum, aut hos a cerebro enunciare non dubitem. Omnis enim laeſio, quae hoc morbo in humana machina producitur, ad animales, ut vocant, functiones pertinet, reliquae vigent; nihil enim in digeſtione, in chylopoieſi, nihil in ſanguinis circulatione, in ſe-et excretionibus obſervatur, quod non naturale ſit, niſi eouſque tandem debilitati ſint nervi & cerebrum, ut neceſſario reliquas corporis partes in conſenſum trahant. Sed quis iam demonſtret, in quanam corporis parte fomes nervorum ſyſtema tantopere debilitans haereat? An in hypochondriis? an in ipſo cerebro? an in alia corporis parte? Ignorantiam lubens hic fateor. Qui periodicos morbos ex labe qualicunque viſcerum

misto: dum illi quoque bilem, quasi bilem (materiam biliformem Cl. STOLL) in ipsis ventriculo, ac intestinis haerentem similia cutanea mala per consensum producere posse experientia didicerint. Neque tamen haec sufficere mihi videntur, ut caussa nostri morbi in abdomine indubitabiliter figatur. Etenim qui perpendit, nullum plane praeter dicta occurrere signum, quod vitium in hypochondriis haerere vel suspicari liceat; is certe facillime in aliam partem deflectet (a).

Sed non proxima tantum nostri morbi caussa latet; remotiores simili plane obscuritate obfunduntur. Quae enim corporis dispositio huius morbi susceptioni favet? Quid, & qua occasione in corpus invehitur illud, quod tantas in nervorum systemate, in tota humana machina perturbationes producere valeat? An ardens aestate calor? An alimentorum perversa indoles? An paludosus aer aut soli humiditas? An miasma aliquod? Cl. FRAPOLLI ab ardentibus solis radiis unicam morbi caussam provenire numerosissimis argumentis demonstrare studet. *Nonne* (inquit) *satis evidens & unica caussa insolatio* (b)?

(a) Argumentum enim ex alvi laxitate rem minime evincit.

(b) Lib. cit. pag. 14. & seq.

Argumenta autem, quibus hanc sententiam stabilire annititur, nullius sunt momenti. Primum enim quod affert, hoc est: Non ab alimentis, non ab animi pathematibus, non a laboribus Pellagra nasci potest: ergo unica caussa est insolatio. Alterum argumentum ex SENNERTO (*a*) desumit, ubi Auctor ille Clarissimus ait: *Ephelidum primum genus est notus ille affectus, nigredo scilicet illa, quam Germani* Sommerbrand *appellant, in facie, manibus, & partibus aliis radiis solis expositis, ab ardore solis contractis &c.* Cum itaque iam veteres varias epidermides alterationes a solaribus radiis dependere arbitrati sint; cur non & Pellagrae caussa in illis quaeratur? Quam debilia autem, quam inania haec sint argumenta, quisque satis videt, vixque refutatione opus est. Accedit praeterea argumentum, quod penitus sententiam hanc evertit: nempe si a sola insolatione morbus dependeat; cur non in inferiori Italia, cur non in aliis calidissimis terrae plagis idem morbus saevit? cur, si forte Asturiam excipias, in solo Mediolanensi Ducatu? Accedit praeterea, quod ii, qui primo morbum patiuntur, saepissime ipso Februario iam macula illa defoedentur, ut supra iam dictum fuit: mense autem Februario certe tantus

(*a*) Pract. lib. 5. Part. 3. Sect. 1.

nondum est caloris gradus, ut adeo periculosum effectum excitare valeat. Et saepe in illis iam Maio aut Iunio mense sanitas redit: ita, ut, dum vehemens caloris aestus corpora exurit, sani iam iterum vivant. Sed videamus, quomodo ex assumpta hypothetica hac caussa morbum eiusque effectus omnes explicet: *Cum enim* (inquit) *sol fervidiores fibrans radios subiecta sibi agricolarum corpora diu exagitet, acriusque perturbet; nimium inde rarefiunt collecti per hyemem humores, canalium tunicae plus aequo distenduntur, exhalantes cutis poruli violentius dilatantur, transpirabilis materia vi cordis vasorumque impulsu ad ipsos indefinenter confluit, ut qua exitus patet permixte & confuse dimanent. Quinam igitur poterunt tanta haec eliminari copia? Nonne extremitates ultimorum, minimorumque tubulorum enervari? Nonne aliquam copiosissimae transpirationis partem in hisce stagnare? Nonne caetera necesse est sequi symptomata superius indicata initiatae Pellagrae? Quodsi continua solis actione, aut peculiari cutis dispositione exhalantes poruli omnino obliterentur, cutisque rugosa, callosaque fiat; nulla tunc in affectis partibus transpiratio, hinc tot confirmatae aegritudinis accidentia. Porro maiores minoresve sunt Pellagrae effectus, iuxta maiorem minoremve cutis alterationem, uti docet experientia. Concludendum er-*

go, *unam eſſe eandemque morbi cauſſam inſolationem* (*a*). Sunt adhuc multa in hac explicatione, quae refelli hic poſſent, verum ne taedium lectori creem, ad ulteriorem cauſſae indagationem progredior. An itaque victus perverſus, aut labor durus tenuibus alimentis coniunctus morbum noſtrum producere valeat? Certe veritatis ſpeciem habet haec opinio a non paucis adoptata; ſiquidem, ſi pellagroſos contemplemur, eos fere omnes ex minori hominum ſorte, ex ruſticis, ex plebeiis eſſe deprehendemus, qui laboribus ſub die quotidie exponuntur, alimentis duris, ſaepe ex oryza, quae in hac regione copioſe creſcit (*b*), victitantes.

Aſt haec cauſſa huic regioni propria non

(*a*) Ex hac explicatione videre licet, quam facile ſit, ex hypothetica & falſa quavis cauſſa morbum explicare.

(*b*) Oryzam ſi paullo maiori quantitate aſſumatur, non facillime digeſtionis eſſe, ex experimentis, quae Cl. BERGIUS in ſua *Mat. Med.* refert, concludi, ni fallor, licet. Sed praeterea Cl. I. BONTIUS refert: Calidam oryzam non ſolum noxam eſſe ventriculo, verum cerebro, ac univerſo nervorum generi, hinc quoque nervos opticos ſaepe in tantum obſtrui, ut caecitas inde oriatur, hinc etiam non facile Iovanos ac Malayos edere calidam oryzam. *De Medicina Indorum lib. 2. Dialog. 3. pag. 41. & 42. in edit. 4ta adiecta aſt Operi* PROSPERI ALPIN. *de Med. Aegypt. L. B.* 1718.

eſt, in omnibus fere terrae, ſaltem Europae plagis huius generis homines & duris laboribus & alimentis difpeptis farinaceis deſtinantur. Neque in univerſum verum eſt, ſolos ruſticos, ac plebeios huic morbo ſubiectos eſſe, rarius quidem, ſed tamen non nunquam ditiores, bene viventes etiam invadit. Sic narravit mihi Cl. STRAMBI ſe cognoviſſe Sacerdotem, Canonicum ſatis bene viventem, laboribus nunquam defatigatum, qui tamen diro hoc morbo laboravit. Praeterea ſi ex hac cauſſa atrox hic morbus naſcatur; cur ſordium primarum viarum, aut aliorum ſymptomatum, quae ex inconvenienti diaeta ortum habent, nullum hic ſeſe offert? Attamen nimiam oryzae calidae ingeſtionem aliquid ad noſtrum morbum conferre poſſe, non inficior. (!!) His enarratis cauſſis probabilior forte nonnullis videbitur ſoli humiditas ac aer paludoſus. Etenim negari non poteſt, Ducatum Mediolanenſem aquis ſtagnantibus aeque ac fluentibus ubique abundare. Quanta autem mala paludoſus aer hominum ſanitati inducere valeat, novit iam olim HIPPOCRATES (*a*), & paludes aquas deterrimas vocavit COLUMELLA (*b*). Et veteres Romani hac ex cauſſa in paludum exſiccationem

---

(*a*) In lib. *de aere*, *locis*, *&* *aquis*.
(*b*) *De re ruſtica* lib. I. Cap. 5.

non exiguam collocarunt diligentiam (*a*). Neque earum noxam ignorarunt recentiores: Cl. LANCISIUS (*b*) fere exhausit hanc materiam: Cl. CULLEN (*c*) ex aere paludoso frequentissimam intermittentium febrium omnis generis caussam desumit, atque harum febrium differentias ab intensitate miasmatis paludosi vel eius in dato spatio quantitate produci credit. Neque lectu inutilia sunt, quae de horum effluviorum noxa nuper protulerunt P. ORLANDI Medicus Romanus (*d*), & DAZILLE (*e*) Medicus in St. Domingo. At si Auctores omnes proferre vellem, qui de noxis stagnantium, ac morbis inde ortis scripserunt, insignem doctissimorum virorum Catalogum recenserem. Sed si omnes hos pervolvamus, nihil, quantum invenire potui, habent, quod aliquam cum nostro morbo similitudinem

(*a*) TARQUINIUS Priscus iam exsiccavit paludem in Urbe iacentem. SCAURUS Consul exsiccavit aliam ad Padum fluvium. MARCUS CURIUS Dentatus Reatinae paludis exsiccationi incubuit.

(*b*) *De noxiis paludum effluviis eorumque remediis libri duo*. Et in Diss. *De nativis deque adventitiis Romani caeli qualitatibus*, passim.

(*c*) *First Lines of the Practice of Physic* Vol. I. Edinb. 1778. §. 82. pag. 68.

(*d*) *De exsiccandarum paludum Pontinarum utilitate*. Romae 1783.

(*e*) *Observations generales sur les Maladies des climats chauds*. à Paris 1785.

ostendit. Verum obiicere quis posset: quod omnes illi morbi, qui in Auctoribus recensentur, solis stagnantium effluviis ortum suum debeant, aliud autem quid in Mediolanensibus rusticis obtineat: hi enim, cum oryzam, quae non nisi in agris aqua inundatis crescit, quam maxime colunt, non tantum effluviis, verum & ipsi aquae stagnanti saepe exponuntur. Non omni robore destitutum hoc argumentum videtur. Verum qui cespites effodiunt in Hollandia, toto saepe die pedes aquis pessimis immersos tenent, nec tamen ibi unquam aliquem morbo nostro laborasse audivi. Accedit adhuc, quod illae Ducatus partes magis Pellagrae obnoxiae sint, quae elatiori solo gaudent, & paludosae aquae, aut aeri non expositae, ut observavit Cl. STRAMBI. His itaque pensitatis patet, a sex rebus non naturalibus (ut cum Scholis loquar) morbum deduci hactenus non potuisse. Certum quidem est, subesse vitium aliquod earum rerum, quibus homines carere nequeunt; sed hoc vitium sensibus patere non videtur, & ex cognitis qualitatibus derivari nondum potuit: Hinc melius est ignorantiam fateri, quam ex falsa & hypothetica quacunque caussa morbum explicare, ne maioribus erroribus ansa praebeatur.

Supersunt adhuc aliae dirimendae quaestiones, nimirum: an contagiosus sit hic morbus?

an haereditarius ? an endemius ; an in nullis aliis regionibus obſervetur ? Ad contagium quod attinet, nulla certe obſervatione conſtat, hominem ſanum a pellagroſo unquam infectum fuiſſe, quin potius certo ſtatuendum videtur, omni contagio carere Pellagram: conſtat enim, plurimas uxores laborare inveterato etiam morbo, ſano interim marito, & contra. Saepe in tota familia unus pellagroſus, reliqui ſani; aut in pellagroſa familia unus alterve ſanus haud raro reperitur. Et FRAPOLLI aegrotos confirmata Pellagra laborantes non ſemel vidit in eodem cum ſanis lectulo ad plures dies cubaſſe, aeſtivo utplurimum tempore, & nulla inde facta in alios huiuſce morbi transfuſione. Hinc etiam inquit: *neminem arbitror ſomniaturum Pellagram morbum eſſe contagioſum* (*a*). Veruntamen Medici Mediolanenſes nonnulli rem extra omne dubium poſitam nondum credebant, cum ſufficientia hac in re experimenta adhuc deſiderarentur.

Sequitur nunc altera quaeſtio profundius ſepulta tenebris. Nimirum utrum hic noſter morbus inter eos pertineat, qui ex parentibus in prolem, ſerumque nepotem migrantur? Novi equidem, diatheſes haereditarias hodie a nonnullis penitus reiectas; ſed meum non eſt, hic multum

(*a*) Lib. cit. pag. 12.

contendere pro veritate rei ; cuius exiſtentia tot indubitatae obſervationes clariſſime oſtendunt, licet modum, quo fiat, ignoremus. Nonne Phthiſin, Podagram, Epilepſiam plurimaque alia mala per ſeriem deſcendentium quandoque continuari videmus? Quid quod maiorem admirationem meretur, a Patre, illaeſo filio, in nepotem tranſire? ut iam olim animadvertit PLINIUS (*a*), & recentiores innumeri confirmant. Magis adhuc eluceſcit haereditaria haec poteſtas, ſi nationum ſpectemus varietatem. Licet enim clima tandem nationali ſuo habitu ſtirpem hominum peregrinam induere videatur, multae tamen generationes ad hoc deſiderantur (*b*). Et Aethiopes in noſtra etiam regione proles generant nigras omnibus characteribus inſtructas, quibus haec gens ab Europaeo ſeſe diſtinguit, quas tam accurate deſcripſit Cl. SOEMMERING (*c*). Europaeus contra in calidiſſimis Africae plagis prolem edit albam, Europaeo ſimilem. Gens Iudaica inter nos per plura ſaecula converſans, ſuo adhuc charactere ſeſe diſtinguit. An haec fortuito? Maiora certe

(*a*) Lib. 7. cap. 12.

(*b*) P. CAMPER *Nede über den Uſpiung, und die farbe der ſchwarzen. Deſſere kleine ſchriften.* 1. *Band.* 1. *Th. pag.* 38. *u* 39.

(*c*) *Uber die Körperliche verſchïdenheit des Negers vom Europäer.* 1785.

haec ſunt, quam quae a noſtro ingenio capi poſſunt. Verum contemplemur ſeminum germen, quibus has haereditates acutiſſime comparavit Cl. GAUBIUS (*a*): quis, niſi expertus, in exigua hac maſſula excelſa futurae arboris rudimentum latitare crederet? Quis in ſeminibus per annos etiam ducentum aſſervatis reſuſcitari poſſe ſopitum germen (*b*) vel unquam ſomniaſſet? Attamen vera haec ſunt experientia teſte. Cum itaque haereditaria haec vis tot graviſſimis nixa obſervationibus adeo certa ſit, ut nullus dubitationi ſuperſit locus, cum tot aegros morbo etiam non contagioſo laborantes huic ſoli originem ſui mali debere, conſtet; non improbabile videtur, eam ad producendum noſtrum morbum plurimum pollere. Sed aliud longe voluit Cl. STRAMBI, nimirum unicam morbi cauſſam in haereditate poni, atque illos, qui ſanis procreati ſunt parentibus, ſecuros omnino a Pellagra arbitratur. Plurimos, quos examinaverat, aegros ſibi faſſos fuiſſe affirmabat, parentes eodem quodnam morbo laboraſſe aut periiſſe; illi autem, qui hoc negarunt, illud neſciviſſe credit. Verum non adeo probabilis haec mihi videtur ſententia; quotquot

(*a*) Inſtit. Patholog. L. B. 1781. pag. 396.
(*b*) V. VAN SWIETEN *Comment. in* H. BOERH. *Aphor.* T. 4. pag. 338.

enim novimus morborum genera ; nullum inter illa existit, quod ex sola haereditate originem trahit, ita ut ab aliis caussis produci non possit. Ut diligentiori ac diuturno caussarum examine certius aliquid in posterum de hac re enunciari possit, sperandum est. Restat, ut inquiramus, an endemius noster morbus sit ? an in nullis aliis regionibus simile quid observetur ? Sporadicum hunc morbum esse, contendit Cl. FRAPOLLI nec epidemium nec endemium, inquiens (a): *Num igitur Pellagra morbus epidemicus aut endemicus ? Neutrum videtur. - An morbus sporadicus ? utique. Pellagra enim nec universim grassatur, nec alicui regioni peculiaris est, agricolasque in nostra hac Insubria hic & illic indiscriminatim aggreditur &c.* Nemo arbitror opinioni huic calculum adiiciet : rationem enim, quae Auctorem induxit, quare nulli regioni peculiarem esse morbum scribat, non video. An ideo forte morbum endemium esse negat, quia in toto Mediolanensi Ducatu sparsim observatur ? An ad morbum endemium requirit, ut in minima quadam parte regionis tantum observetur ? Aut putat forte, in omnibus aliis terrae partibus non minus, quam in hoc Ducatu, Pellagram rusticos vexare? Ultimum videtur, nisi enim hac in opinione ver-

(a) Lib. cit. pag. 13. & 14.

faretur; non adeo audacter solum aestatis ardorem pro unica morbi caussa venditasset. Verum cum hic morbus adeo incognitus sit, nec in ulla alia regione, si Asturiam excipias, quantum novi, observetur, morbis endemiis eum omnino adnumerandum censeo. Quin & epidemius certo sensu dici potest.

Sed haec de caussis dicta sufficiant: si forte illarum enucleationi diutius, quam par est, immoratus fuerim, B. L. me excusatum habeat, velim.

Videamus nunc, quam faciem Pellagra aliis complicata morbis prae se ferat.

CAPUT X.

De Complicatione Pellagrae cum aliis morbis.

Quam facilis, quam felix foret Medicis Praxis, si morbi semper solitarii incederent, nec unquam coniuncta manu mortales aggrederentur. Sed eheu! tot sunt morborum complicationes, ut vix habeatur aeger, qui uno simplici morbo laborare dici possit. Hinc supervacuum forte hoc caput nonnullis videbitur, quoniam in infinitum procedendum foret, si omnes, quae cum nostro morbo coincidere possunt, affectiones enumerare vellem. Verum eos hic duntaxat recensebo,

quae

quae eum haud raro comitari observati sunt, & eius indoli lucem aliquam afferre videntur. Sunt autem illi morbi duplicis, ni fallor generis, vel enim immediate a Pellagra ortum habent, vel ab aliis caussis pellagrosis accedunt, Pellagra etiam non praesente accessuri. Ad primum genus referre eos, qui iam secundo capite recensiti sunt, nullus dubito, qui in ipsa Pellagra caussam suam fundatam habent, & non secus ac symptomata huius morbi contemplari merentur.

Ad alteram autem classem pertinent febres variae, praecipue intermittentes, Arthritis, Rheumatismus, Scorbutus, Phthisis, quos omnes affligere miseros in Nosocomio Lignanensi observavi. De singulis videamus.

Morbum nostrum plerumque ἀπύρετον esse, supra iam annotavimus. Hinc ex sua natura febrem non accendere, satis, ni fallor, patuit; febriumque diversitas id adhuc magis confirmat, mox enim haec, mox alia eius species pellagrosos affligit. Neque salutare naturae conamen esse, quo morbum adeo periculosum vincere tentet, eventus docuisse videtur. Nimirum, cum, ut innumera clarissimorum virorum observata testantur (a), in viscerum hypochondriacorum affectio-

(a) HIPP. *Aph.* Sect. 7. Aph. 52. Edit. Foes. pag. 1260., quem nuper sic cecinit CLOSSIUS.

nibus & mania ipsa curandis tantam saepe efficaciam monstrent febres supervenientes, praecipue si ex ordine intermittentium sint, ut Medici non pauci exoptaverint, ut illas febres ad libitum provocare possint, merito quis in pellagroso morbo eas effectu non carere speraret. Sed spem fefellit experientia. Febris venit, remittit, abit, non tollit Pellagram. Cortice Peruviano nimis festinanter profligata, non alia relinquere mala videtur, quam quae & homines non pellagrosi ab immaturo corticis usu pati solent (*a*). Inde

---

Si vehemens iecoris dolor est, accendere febrem
Votum est, qua pulsus corpore morbus abit.
Et *Epidem.* lib. 6. Sect. 6. No. 9. Foes. pag. 1190. CELS. lib. 2. cap. 8. & recentiores innumeri. Nuper Monspeliensis Auctor I. B. IOS. DE BELGARRIB hac de re disputavit in specimine Academico: *An in morbis chronicis febris sit excitanda ad eorum curationem?* Vid. Cl. BLUMENBACH *Medicinische Bibliothek* T. 2. pag. 134. Hocque Thema Medicorum Societas Parisiensis nuper pro praemio exposuit, de cuius recuperatione praeter alios, Viris mihi amicissimis Doct. VAN DER HEEM & VAN LEEUWEN Practicis Amstelodamensibus me gratulari posse, summopere gaudeo.

(*a*) Fateor tamen, experimenta hac in re instituta mihi nondum sufficere. Neque quartanam febrem in pellagrosis, nisi id urgerent aliae circumstantiae, subito profligandam suaderem: res ulteriori examine dignissima est.

patet; aliam subesse debere caussam, quae has febres accendit, quam Pellagra.

Arthritici, rheumaticique dolores immaniter saepe excruciant pellagrosos, & nullus forte morbus est, qui saepius pellagrosis ac tenacius inhaeret, quam qui huc pertinet. Et quamquam non credam, Pellagram ex sua natura Arthritidem, Rheumatismum, similesque affectiones producere; diffiteri tamen non ausim, eam caussam quodammodo praedisponentem constituere. Quin etiam illi morbi non tantum crebrius in his aegris, quam in aliis hominibus in illa regione observantur, verum in illis quoque ad omnia remedia rebelliores inveniuntur. Quam primum apparent, in vesicatoriis auxilium quaerunt Medici. Sic narravit mihi historiam Cl. STRAMBI. Foemina pellagrosa doloribus dextri brachii vehementissimis afficiebatur; applicavit dolenti loco vesicatorium: evanuit dolor, sed altero mane idem brachium occupabat sinistrum: mox quoque hinc vesicatorio fugatur; sed ad artus inferiores sedem figit, & primo quidem in dextro femore, sed eodem remedio in sinistrum depellitur. Metuit nunc Cl. STRAMBI, ne ulteriori vesicantium usu ad partes nobiliores depelleretur morbosa materies, ideoque abstinuit ab eo, & dolor ibi fixus haesit. Saepe etiam Moxam hoc scopo tentavit idem Doctiss. Vir, nec sine fructu & quidem non tan-

tum in rheumaticis arthriticiſque pellagroſorum doloribus profuit, verum etiam ipſi Pellagrae Moxa & fonticuli levamen tuliſſe viſa ſunt, quanquam non ſemper; in nonnullis enim effectu penitus caruerunt, licet ſaepius, diuve applicata.

De Scorbuto fuſius non nihil dicendum eſſe credo, cum non defuerint, qui Pellagram non niſi Scorbuti ſpeciem eſſe autumarunt: quin & ſub *ſcorbuti alpini* nomine deſcriptum fuiſſe noſtrum morbum, percepi. Sic quoque Cl. THIERI morbum, quem deſcribit, ex Lepra & Scorbuto compoſitum eſſe exſtimat, quod Cl. SAUVAGES & SAGAR induxiſſe videtur, ut hunc morbum inter Leprae ſpecies reciperent *Leprae Aſturienſis* nomine, quam Cl. SAUVAGES ſic definiit: *Eſt Lepra ſcorbutica cum tremore perpetuo capitis & trunci ſuperioris apud Aſtures endemia*. Aſt qui utrumque conſiderat morbum, ac Auctorum deſcriptiones cum noſtro morbo comparat, inſignem animadvertet differentiam. Aliqua quidem ſimilitudo, ſi obiter ſpectatur, cum Lepra praecipue Graecorum apparet, diligentiori autem examine haec mox evaneſcit. A Scorbuto autem quantum diſtat? Etenim ſi laſſitudinem, torporem, & ἀπυρεξίαν excipias, nullum Scorbuti Symptoma ſeſe prodit, niſi morbus ſit complicatus. Nam pellagroſorum maculae non tantum in eo a ſcorbuticis differunt, quod potius

in carpo, quam cruribus erumpant; verum etiam colore totaque facie tantum discrepant, ut solo adspectu facile distinguantur. Sed quid multis opus? totus morbi decursus differentiam docet. Verum Scorbutus, licet dispar plane a Pellagra morbus, pellagrosos tamen non minus, quin saepius etiam quam alios in hoc Ducatu non infrequenter afficit, & in Lignanensi Nosocomio plurimos vidi, quorum gingivae hoc morbo defoedatae existebant. Neque facile quis hoc mirabitur; duplex enim ratio est, cur in Scorbutum proclives esse debeant pellagrosi. Primo namque certum est, Scorbutum prae reliquis facillime melancholicos invadere. Hinc EUGALENUS (*a*) internam Scorbuti caussam in melancholici humoris exuberantia posuit. Idem credit DOLEUS, dum de scorbuticis inquit: *continens caussa ipsis est humor melancholicus vitiosus* (*b*), hincque Scorbutum *sororem germanam affectionis hypochondriacae* vocat (*c*). BOERHAAVIUS quoque ac eius commentator melancholiam, maniam, labem hypochondriacam inter caussas praedisponentes Scorbuti nu-

(*a*) *De morbo Scorbuto* Amst. 1720. pag. 7.
(*b*) *Encycl. Med.* lib. 3. cap. 12. Oper. Francof. 1703. pag. 305.
(*c*) Ibid. pag. 303.

merant (*a*). Altera ratio, quare pellagrosi saepius scorbutici sint, ex tristi & otiosa eorum vita petenda videtur; vidimus enim supra, eos ab omni laboris specie quam maxime alienos esse, otium autem inter primarias Scorbuti caussas locari debere, docuerunt BOERHAAVE & VAN SWIETEN (*b*), idque extra dubium posuit Doct. L. ROUPPE (*c*). Patet itaque, Scorbutum in pellagrosis non aliter, quam morbum accessorium iudicandum esse, hancque sententiam eius cura confirmat, nimirum pellagrosorum Scorbutus, aeque hac in aliis hominibus remediis antiscorbuticis ac iusto regimine facile, nisi nimium progressus fuerit, sanatur, Pellagra ne minimum mutata.

De Phthisi restat ut videamus. Siquis hanc potius ad primam classem pertinere credat, non obloquar. Norunt enim Practici, quibus multos hypochondriacos videre contigit, hypocondriace ac hysterice affectis haud raro tandem a Phthisis pulmonalis symptomatibus, ultimum eorum ac funestum statum comitantibus, supremum diem claudi: hincque a recentioribus in systematibus suis Nosologicis ut species recepta est *Phthisis*

(*a*) In *Aphor.* 1150.
(*b*) Ibid.
(*c*) *De morbis Navigantium* L. B. 1764. pag. 100.

hypochondriaca a Cl. MORTONO iam dudum descripta ac historiis illustrata (*a*). Verum moriuntur plurimi pellagrosi, in quibus nullum unquam phthiseos vestigium reperitur; ideoque Pellagra quidem seminium huic morbo praebere, ast tamen aliud quid accedat desiderari videtur, sine quo Phthisis non producatur. Utrum nunc Phthisis haec pellagrosorum cum Phthisi hypochondriacorum communi conveniat, utrum eadem, quae in hac medicamenta opem aliquam ferant, me ignorare, lubens fateor.

Hydrops quoque & Anasarca non raro exitialia sunt pellagrosis, quos frequentissime aggrediuntur: sic etiam in Asturia morbum saepissime terminari per hydropem, notavit Cl. THIERI; & FRAPOLLI inquit: *Hydrops maxime & Pellagra lethalem efficiunt morbum, remedia quippe, quae huic prosunt, alteri nocent aegritudini.*

CAPUT VI.

De Prognosi.

Si unquam ex parva scintilla magnum incendium praedici possit, id certe in nostro hoc

(*a*) *Physiolog.* lib. 3. cap. 4.

morbo obtinet. Quis enim nisi expertus ab exigua cutis affectione, vix ullis comitata molestis tam horrendum crudelemque morbum auguraretur? Hinc pessima semper prognosis in quocunque Pellagrae stadio; etenim nunquam non timendum, ne in peiorem statum morbus sit ruiturus. Neque tamen penitus omni in casu desperandum. Qui per longam annorum seriem sola cutanea affectione laborarunt, absque aliis incommodis, iis certe spes aliqua affulget, fore, ut in confirmatam Pellagram toto vitae decursu non transeat; sunt enim pellagrosi, qui, postquam diutissime in primo morbi stadio versati sunt, aliis longe morbis correpti e vita cedunt, ita ut nequaquam Pellagra mortis fomes dici possit. Praeterea exstant observationes, licet rarae, quod non tantum ex primo stadio, verum e confirmata quoque Pellagra convaluerint aegri. Verum incerta tamen haec omnia sunt, &, quantum scio, nulla adhuc certa prognostica signa existunt, ex quibus aut in sanitatem aut in peius abiturum esse morbum praedici potest, si generalia, ac omnibus morbis communia excipias. Ideoque symptomatum gravitas, hominis constitutio, ac morborum complicatorum indoles omnem prognosin absolvunt. Sic si sanissimus caeteroquin homo, temperamento praeditus sanguineo, levissima Pellagrae symptomata contrahat, hic facilius evasu-

rus est, quam alii, qui laxum habent fibrarum contextum, & atrabiliarii, ut vocant, temperamento donantur: hi enim difficilius morbum pati solent. Si alius ex superiori capite alatis morbis pellagrosos invadit; pro natura huius prognosis formanda. Febres, praecipue intermittentes, minus timendae, quam Cachexiae aut Cacochimiae. Periculosissimi autem sunt Phthisis & Hydrops, quae vix unquam, licet in leviori adhuc statu sint, in pellagrosis sanantur. Unicam tantum foeminam optimo temperamento praeditam ex hac evasisse meminit Cl. FRAPOLLI, ubi, neglecta Pellagrae cura, omnis medela ad Anasarcam dirigebatur (*a*). Haec de Prognosi sufficiant: cui enim bono generalioribus inhaerere?

CAPUT VII.

De Cura Pellagrae.

Si Medicina prorsus perfecta esset, omniumque morborum caussae cognitae, cognitaque apta singulis remedia, tunc certe a proxima caussa omnis indicatio in curandis aegris desumenda foret. Ast quantum ab hac perfectione adhuc abest nostra scientia? Quot non existunt morbi, quo-

(*a*) Lib. cit. pag. 21.

rum caussae abditae adhuc latent; atque inter hos nostrum quoque morbum pertinere, supra iam indicavimus. Quid autem in iis superest, quam ex iuvantibus & nocentibus prudenti iudicio remedia desumere, atque ad naturae conatus, aegri desideria, symptomata vehementiora omni attentione respicere. Et non exigua sane commoda ex empyrica quodammodo hac methodo in Medicinam profluxere. Et quantum non in posterum ab illa sperandum? Verum in illo, quem describimus, morbo, quamquam plurima tentata fuere remedia; nullum hucusque inveniri potuit, quod illi debellando par sit. Hinc non pudebat egregium virum Cl. STRAMBI ingenue fateri, se nunquam pellagrosum sanatum vidisse, quem remediis sanitatem debere, affirmare audeat.

Patet itaque, omne, quod de Pellagrae cura dici possit, in eo tantum consistere, ut, quaenam remedia, quoque eventu tentata fuerint, & quae tentanda adhuc esse, ratio suadeat, paucis enarrem. In primo morbi stadio omnem fere spem aegri aeque ac Medici in balneis posuerunt. Atque hunc in finem balneum patet aegris in Nosocomio maiore Mediolanensi, quo catervatim confugere eos, ipse vidi. FRAPOLLI etiam, se hac curationis methodo quam plures sanatos vidisse, testatur, & balneo, frictionibus, ac diaphoreticis medicaminibus omnem curam absol-

vi, credit; nec mirum: nam si ex corporis insolatione, atque hinc impedita transpiratione totus penderet morbus, ut ille omnibus argumentis probare annititur; iis remediis nihil consultius, nihil tutius adhiberi posset. Regulas autem sequentes balneantibus praescribit: Ventriculus ac intestina blandis eccoproticis, aut purgante medicamento a sordibus liberentur. - Dein abdominis status explorandus, ut, si adsint obstructiones, hae auferantur. - 3.º Urgente plethora plus minus Venae Sectio celebranda. - 4.º Potiones diluentes copiosas sumendas quoque praescribit, quem in finem serum lactis refrigerantibus & antiscorbuticis herbis alteratum commendat. - 5.º Denique laetus balneum ingrediatur aeger, eoque hebdomadas aliquot utatur fretus spe recuperandae valetudinis. Sunt sane haec praecepta eius generis, ut aliquid inde boni sperari posse videatur. Verum, ni fallor, nimiam in balneis fiduciam posuit Cl. FRAPOLLI: interrogavi ipse plures aegros, qui per longum iam temporis spatium balneis usi fuerant, & nullum adhuc levamen se sentire, affirmabant. Quin & Medici Mediolanensis Nosocomii exiguam balnei virtutem confirmabant, & potius, ut voluntati plebis satisfieret, quam recuperandae sanitatis spe haec balnea illis permitti, aiebant. Si ad alterum stadium morbus progressus fuerit, saepe non tan-

tum non prosunt balnea; verum etiam exasperant quandoque malum, ut in morbi historia prima, quam ex FRAPOLLI infra adducam, videre est. Interim tamen in hoc quoque statu balnea adhibenda esse, credit FRAPOLLI, eo autem discrimine, ut diluentia, quae in primo stadio balneantibus affatim haurienda praescripserat, nunc omnino proscribantur, illisque mixturae cardiacae, corroborantes substituantur, ne viscera, quae confirmari debent, nimium enerventur. Quem in finem quoque, si purgante opus sit, tale adhibeatur, iubet, quod corroborandi simul potestatem possidet. Monet praeterea, vires aliquando adeo deficere, ut balneo uti penitus nequeat aeger. Atque tunc substituendas credit universales corporis frictiones, frequentesque affectarum partium ablutiones, aut fomenta ex decoctis emollientibus, seroque lactis parata, remediis interea corroborantibus intrinsecus exhibitis. Et haec quidem methodus prae balneis mihi placeret (*a*), praecipue si aeger ipse has frictiones panno laneo sibi instituat. Sic enim praeter commoda, quae ex frictione oriuntur, eorum quoque particeps fit, quae levis haec commotio secum fert. Quantum autem ex bene in-

(*a*) Nolim tamen, quis putet, me omnino balnei usum in Pellagra reiiciendum velle.

ſtituta frictione ſperandum ſit; quiſque facile intelliget, modo eius effectus diligentius nonnihil perpendat. Haec enim vim vitalem miro modo auget, cordis & arteriarum motum, qui in noſtro morbo languet, quammaxime egregie incitat, perſpirationem promovet, & circulationem in vaſculis minimis in actum ducit. Verum magna frictionum differentia eſt (*a*): quae in noſtro morbo convenit, ſic inſtitui debet, ut corpus firmet, ac circulationem augeat.

Videamus nunc de reliquis remediis; quae hoc in morbo adhiberi conſueverunt. Ad evacuantia quod attinet, haec non, niſi omni circumſpectione, adhibenda videntur, praecipue Venae Sectiones: ex iis inopportune inſtitutis delirium vidit Cl. FRAPOLLI (*b*) in primo morbi ſtadio, inopinatum ſane ac inſuetum in hac morbi periodo ſymptoma. Nec tamen in plethoricis omittenda eſt, quin & in ſecundo ſtadio, ſi maniae vehementia, ac ſanguinea corporis conſtitutio hanc poſtulant, in ipſis iugularibus eam inſtituendam ſuadet nominatus Auctor. Ac Hirudines quoque temporibus applicatas mira hoc in caſu praeſtitiſſe refert (*c*). Ipſa etiam Arterio-

(*a*) HIPP. *De Offic. Medic.* Foeſ. pag. 746. & CELS. lib. 2. cap. 14.
(*b*) Pag. 27.
(*c*) Pag. 29.

tomia in hoc morbo ad aliquam vitae prolongationem aliquando convenire videtur, tunc nimirum, si convulsionum epilepticarum vehementia mortem subitaneam minitetur (*a*). Purgantia, siquae adhiberi debeant; blanda semper eligantur, nec sufficit in secundo Pellagrae stadio blanda haec esse, verum necesse quoque est, ut corroborantia simul iuncta habeant. Hinc laudat Cl. FRAPOLLI Pilul. de Succin. Crat. Mastic. similiaque. An Aloë blandum purgans?

Sudorifera ac diuretica minus periculi habere videntur, praecipue in primo morbi statu, & diaphoretica praecipue ad morbi curationem non exiguum conferre, credit saepe nominatus FRAPOLLI.

Epispastica, Sinapismi, Vesicatoria summopere quandoque iuvant pellagrosos, &, si arthritici, rheumaticive dolores accedant, ad haec mox confugiunt Medici, ut supra dixi, & in confirmata Pellagra Vesicatorium occipiti applicatum opem ferre non exiguam, FRAPOLLI monet. Et nemo eorum utilitatem in dubium vocabit, si miram efficaciam perpendat, quam in morbis, qui cum nostro aliquam habere similitudinem vi-

(*a*) Vid. quae Dr. IOHNSTONE habet in *Med. Obs. and Inquir.* Tom. 2. pag. 119.

dentur, ac in iis quoque; quae tamquam ſymptomata Pellagram comitatur, affectionibus toties praeſtitere. Sed nolim fuſius de Veſicantium applicatione verba facere, cum viri duo Cl. FORSTEN & M. I. DE MAN fere exhauſerint hanc materiam. Id tantum addere lubet, quod Cl. STRAMBI in noſtro morbo Veſicatoriis, utut ſaluberrimis, praeferat fonticulos, ſetacea, ac praecipue Moxam, quam inter remedia hucuſque tentata principem locum obtinere credit.

Roborantia cum cauſſam mali tollere non valeant, inter Pellagrae remedia recenſeri vix merentur; verum tamen non omni utilitate deſtituta videntur, ſi eo uſque progreſſus fuerit morbus, ut quam maxime debiles vitam trahant pellagroſi: hiſce quoque chalybeata proficua fore, credit FRAPOLLI, licet experimenta nondum inſtituerit: clyſmata quoque chalybeata in alvum iniicienda ſuadet, ſi diarrhoea nullis temperanda remediis aegrum proſternat. Cardiaca, ſtimulantia moderate adhibita in ſecundo praecipue ac ultimo morbi ſtadio prodeſſe, cenſet, dum pro potu, ſi abſit ſitis, aegris praeſcribit meracius vinum. Mox autem addit: *ſi vero patiens ſitiat, ſerum lactis bibat tamarindinatum, emulſion. nitrat., ac aq. limon.* Sed contradicere ſibi Auctor videtur, dum pergit: *ſimpliciter diluentia in confirmata Pellagra omnino ſunt pro-*

scribenda. Ad Cardiaca, quod attinet, puto non tantum in secundo ac tertio stadio, verum etiam in primo convenire, ut vires, quae tunc adhuc vigent, sustententur, & sequens stadium antevertatur, differatur saltem. Adstringentia penitus a pellagrosorum cura arcenda videntur, nisi forte diarrhoea aegros nimium debilitans, remediis aliis incassum tentatis horum usum postulet.

Maiorem autem efficaciam resolventia in nostro morbo spondere videntur. Equidem, cum caussa morbi penitus adhuc abscondita sit, nihil certi de eorum utilitate pronunciari potest, antequam experientia hanc demonstraverit. Nolim tamen hic promiscue tententur omnia, quae huc pertinent remedia, sed ea praecipue, quae in morbis quamplurimis, quorum proxima caussa aeque ac nostri latet, miracula praestitere. Praeterea omnia tentanda videntur non ex resolventibus tantum, sed ex aliis quoque medicaminibus, quae in morbis rebellibus variis, vim quasi specificam monstrant, Cicuta, Stramonium, Hyoscyamus, Aconitum, Colchicum aliaque similia, quae quidem, licet effectum, quem ex Cl. STOERKII observationibus sibi facile quis sponderet, non semper praestent: in nonnullis, tamen casibus quammaxime efficacia sese exhibuerunt. Nonne Belladonna, quae in morsu rabidi canis, in cancro, in mania aliisque desperatis morbis

toties ex orci faucibus mortales eripuit, hic tentanda? Utrum Arnica, Camphora, quae in morbis, ubi vires languent, aegros mirifice saepe reficiunt e pellagrosorum cura penitus exulentur? obiiciet forte aliquis, ea, quae hic proposui, remedia, in morbis a Pellagra toto caelo diversis efficaciam praestare, ideoque malam inde ad nostrum morbum deduci conclusionem. Id equidem diffiteri non ausim, nec certo, haec aliquid conferre, affirmem; verum cum tota fere cura ex iuvantibus & nocentibus institui debeat, nefas crederem, vel unicum efficax remedium intentatum relinquere. Sed praeter iam dicta, sunt quaedam remedia, quae prae reliquis omnibus adhiberi merentur in nostro morbo. Quis a Veratro albo, medicamento sane egregio, sed nostris temporibus nimis eheu neglecto, effectum non speraret? Laudes, quas iam olim PLINIUS huic herbae tribuit, ad instituenda experimenta Medicis Mediolanensibus, ni fallor, sufficere deberent, dum inquit (*a*): *Medetur morbis comitialibus, vertigini, melancholicis, insanientibus, lymphaticis, Elephantiasi albae, lepris, tetano &c.* Nolim hic de Helleborismo veterum multa proferre, licet melancholia & mania non minima

(*a*) *Hist. Nat.* lib. 25.

Pellagrae ſymptomata ſint. Sed quantum in aliis cutaneis morbis veratrum praeſtat? *Medicamentum proprium leprae* illud vocat FALLOPPIUS (*a*); monet tamen ſimul, omnem cautelam in adminiſtrando hoc medicamine adhibendam eſſe, & ex radicis eius decocto ſaeva admodum ſymptomata ſe vidiſſe, fatetur. Noſtris quoque temporibus ſuam efficaciam oſtendit, & adhuc nuper a Cl. IAC. CARM. SMYTH eius tinctura commendata fuit (*b*): nauſeam, quam forte creabat, ſanabatur, dum eam in infuſo Valerianae exhibebat. Siquos medicamenti heroici, qua agit, vehementia deterreat, ii ſaltem Helleborum nigrum adhibeant, iiſdem, ni fallor, viribus, ſed minori longe gradu praeditum. Nec minoris efficaciae remedium in noſtro morbo Animale Regnum praebere videtur, ſi ex analogia argumentari fas ſit, Cantharides enim in morbis non tantum cutaneis, ſed & in aliis, qui analogiam quamdam cum noſtro habere videntur, variis remediis fruſtra adhibitis, opem inſignem tulerunt. In morbis enim omnibus, ubi ſtimulandum vitale principium, ac ubi ſimul reſolven-

---

(*a*) Tom. 2. Tract. 9. cap. 8. Oper. Françofurti 1550. pag. 274.

(*b*) *Medical communications* Tom. I. pag. 207. & ſeq.

dum sit, non infimum locum inter remedia Cantharides obtinent. Cl. R. MEAD experientia doctus in lepra efficacius nullum existere remedium, refert (a). Sed & in aliis cutaneis morbis promptum sese monstravit medicamen, quod adhuc nuper laudavit supra nominatus SMYTH (b). Cumque experientia docuerit, earum acrimoniam, ac turbas, quas hinc quandoque in visceribus uropoieticis excitant, adiecta Camphora mitigari, satis tuto hoc medicamentum administrari posse, autumo, modo ab exigua dosi incipiatur. De modo, quo Cantharides agant, utrum sanguinem condensent, an resolvant, hic non est disputandi locus (c): sufficit indicasse, forsan eas in nostro morbo cum fructu adhiberi posse.

Sed sunt praeter haec innocua quaedam medicamenta, quae attentionem in curanda Pellagra merere videntur. Viola Tricolor, quam Cl. STRACK in crusta lactea tantopere laudat (d),

(a) *Med. Sacra*.
(b) Loc. cit.
(c) Pro utraque opinione experimenta adhuc certiora desiderari videntur, nec facile cum BURSERIO (*Instit. Med. Pract.* Lips. 1787 T. I. p. 66.) risum & stomachum movere crederem, qui pro condensatione dimicant.
(d) *De Crusta Lactea* Francofurti 1779.

postea saepius in usum vocata, diligentiusque examinata in plerisque aliis cutaneis morbis insignem opem praestitit, ac pertinacissima profligavit exanthemata, ut plurimis observationibus in egregia sua Dissertatione docuit AUG. HAASE (*a*). Quis innocuum tale remedium in diro morbo non tentaret? Antiscorbutica efficaciora tentari quoque merentur: quo etiam pertinet Galii Aparines succus, qui, licet non multum hodie adhibeatur, diu tamen a Medicis inter remedia, quae cutis morbos sanant, recensitus fuit, nec inertem esse hanc plantam, vel inde concludi potest, quod non secus ac Rubia, ossa tingere valeat, ut a Cl. GUETTARDO iam diu demonstratum fuit (*b*): sed nuper IOH. EDWARDS (*c*) eam penitus oblivioni eripuit, dum inter antiscorbutica remedia hoc primarium locum obtinere asserit. Superius quidem Scorbutum & Pellagram toto caelo differre, & antiscorbutica pellagrosorum Scorbutum sanare intacta Pellagra indicavi; nolim tamen, inde quis concludat, omnia remedia ideo in hac reiicienda, quoniam

(*a*) *Viola Tricolor* Erlang. 1782.

(*b*) *Histoire de l' Academie des Sciences*. Année 1746. pag. 98.

(*c*) *A Short Treatise on the plant called Goose grass. or Clivers and its efficacy in the cure of the most inveterated scurvy* Lond. 1784.

Scorbutum sanant. Quot morbis non medetur Mercurius a Siphylide maxime distantibus? Et licet quoque antiscorbutica Pellagram nihil emendent, tamen minime negligenda videntur, ut complicatio Scorbuti cum nostro morbo inhibeatur. Possem adhuc plura enarrare medicamina, quae in variis morbis, quibus cum Pellagra affinitas, aut quaedam saltem similitudo esse videtur, mira praestitere, verum ne nauseam lectori creem; de similibus pharmaceuticis remediis tacebo. Sed sunt adhuc alia in nostro morbo, ni fallor, minime negligenda; quo primum pertinet Peregrinatio: nolim hinc intelligi recentiorum Peregrinationes per aera, quas nuper in variis morbis proposuit LUD. LEULIER DUCHE (*a*); sed eam, cuius efficacia in morbis longis iam olim HIPPOCRATI innotuit (*b*), priscis temporibus maxime familiarem, de qua egregiam Dissertationem olim conscripsit Celeberrimus F. HOFFMANN (*c*). Quid enim in morbis

(*a*) *Tentamen Medicum de aerostatum usu Medicinae applicando*. Monspel. 1784.

(*b*) *Epidem.* 6to Foes. pag. 1185. & Aph. 46. Sect. 2. Foes. pag. 1246.

(*c*) *De Peregrinationibus instituendis sanitatis caussa*. Vid. eius Oper. omn. Genev. impress. T. 5. pag. 320.

utilius esse possit, quam caussas vitare? Cum autem Pellagra morbus sit endemius, ideoque caussae, quae eam inducunt, videantur in ipso hoc Ducatu residere; evitari nullo modo melius possunt, quam loci mutatione, & miror sane, de hac nondum magis fuisse cogitatum in sanando diro hoc morbo. Nolim tamen Peregrinatione aegris certam promittere sanitatem, forte caussa morbi iam intus suscepta in aliis quoque regionibus altius serpit, ac exitialis tandem evadit, non secus ac Lepra in calidis Americae plagis suscepta hominem in Europam reversum non deseruit (*a*). Minori tamen aliorum periculo suscipi peregrinatio potest in nostro morbo, cum hucusque nullum habeatur exemplum Pellagrae contagio propagatae.

Praeterea electricitatis vis, quae toties in morbis gravissimis mira praestitit, ut hodie innumeris fere Auctoribus confirmatur, in Pellagra quoque experiri summopere meretur, licet anno 1785., quo in hisce regionibus versabar, ut mihi persuasit Cl. STRAMBI, nondum tentata fuerit. Idem valet de vi Magnetica (*b*), non

---

(*a*) Vid. Cl. HAHN in *Praef.* ad SCHILLINGII *de Lepra commentat.* Lugd. Bat. & Ultraj. 1778. pag. 25.

(*b*) Vid. prae reliquis I. D. REICHEL *de Magne-*

quidem illa Mesmeriana, sed vera, de qua tamen minus sperandum videtur.

In secundo Pellagrae stadio, ubi aegri moerent, torpent, ac languentes, melancholici, absque omni occupatione otiosi sedent, forte non frustra Scabiei inoculatio instituueretur: etenim Scabiem longissimis ac simul pertinacissimis morbis supervenientem eos haud raro sanare, satis superque notum est. Et iam BOERHAAVIUS in melancholicis sanationem speravit, si Scabies foeda, aliquando Elephantiasin aemulans, superveniat (*a*); & Ill. VAN SWIETEN, se talem casum etiam in homine per plures annos melancholico vidisse, testatur (*b*). Sed prae reliquis hanc rem illustrat SUTOR ille melancholicus, qui ad omnia fere immobilis, pali adinstar lecto insidebat, & interrogatus, ne verbulo quidem respondebat, a fortissimis vesicatoriis ne minimum afficiebatur, hunc sola Scabiei inoculatione (*) re-

---

tismo in corpore humano resp. CHR. LUDWIG. Lipf. 1772.

(*a*) Aphor. 1110.

(*b*) In *Comm. ad hunc Aphor.* T. 3. pag. 508.

(*) In methodum, qua in inoculatione usus est Cl. MUTTZELL invehunt absque dubio illi, qui WICHMANNI opinionem amplectuntur: & non terminabuntur de caussa Scabiei rixae, donec Medici, duplicem existere Scabiei speciem sibi

ſtituit vir Cl. MUTTZELL, ita quidem, ut elapſis tribus ſeptimanis Noſocomium relinqueret (a). Nullus dubito, quin quiſque, qui melancholicos pellagroſos mecum contempletur, ac cum iſto iuvene comparet, mox idem adhiberi remedium ſuadeat.

Utrum melancholia haec pellagroſorum infarctum inteſtinorum comitem habeat, utrum adeoque clyſmata reſolventia (*Viſceral-cliſtire*) a Cl. IOH. KAEMPF tantopere laudata (b, cum fructu hic adhiberi poſſint? dicere non auſim. Sectio cadaverum, ac canalis inteſtinorum curioſior ſpeculatio, quae ſaepius in cadaveribus negligitur, brevi rem extra dubium ponere valerent.

In deſcriptione huius morbi ſupra indicavi pellagroſos in ſtatu maniaco inexplebili, ut ſub-

---

ſimillimam, perſpicient; Qua de re forte plura alia occaſione dicam.

(a) Caſum hunc deſcripſit, ac ratiocinio illuſtravit J. ULR. TOGGENBURGER in ſua Diſſ. inaug. Argent. 1760., quam Diſſ. Cl. SANDIFORT in ſuo *Theſauro Diſſ.* T. I. p. 115. recudi curavit.

(b) *Abhandlung von einer neuen Methode die hartnäckigſten Krankheiten die ihren ſiz im unterleibe haben, beſonders die Hypochondrie zu heilen*, *Deſſau* 1784. cuius libri nuper editio nova emendataque, ac verſio quoque Belgica prodiit.

mergantur, desiderio, incontinenter ferri: cum autem prudens Medicus, praecipue, dum morbi caussam ignoret, desideria aegrorum utut incongrua videantur, diligenter speculari, eaque non nisi bene perpensa abnuere debeat; merito me hic interrogare autumo: annon, natura quasi indigitante, si vires aegri id permittant, submersiones in frigidam institui possint? praecipue, cum praeclarum submersionis effectum in maniacis plures celeberrimi Medici, se observasse, testentur, & BOERHAAVIUS ipse de maniacorum cura differens inquit: *Praecipitatio in mare, submersio in eo continuata, quamdiu ferri potest, princeps remedium est* (a). Attamen saepissime in pellagrosis ob nimiam debilitatem adhiberi nequit.

Ad medicationes quod attinet crudeliores, ut sunt amputatio membri, in quo malum se primo manifestat, in Elephantiasi aliquoties pessimo eventu adhibita (b), aut castratio in curam leprosorum olim depraedicata, ac ad praecavendam rabiem canum nuper proposita, nullum Medicum adeo temerarium fore arbitror, ut ea in nostro morbo tentet.

Haec de remediis, quae meo iudicio in pel-

(a) *Aphor.* 1123.
(b) SCHILLING. *de Lepra* pag. 19.

lagrofis tentari poſſent, dicta ſufficiant: forte nimium hiſce inhaeſi. Supereſt, ut quaedam videamus de iis, quae hinc inde adhibita fuerunt. In Aſturia foemina quaedam Plebeia in delirio morbi illius *Mal de la Roſa* dicti, inſignem quantitatem butyri vaccini devoravit, & hoc ſolo curata fertur, referente Cl. THIERI: utrum autem poſtea ulterius experimenta cum pinguedine & butyro inſtituta ſint, ignoro. Idem Cl. THIERI curavit foeminam decem aut duodecim annos hoc morbo laborantem, & ſanationis ſpe deſtitutam duorum menſium ſpatio Aetiope minerali, Antimonio crudo, & Croco Martis, immixtis balſamicis & purgantibus, apto regimine, & ptiſanis ſimul adhibitis. Haec Cl. SAGAR induxiſſe videntur, ut aiat de Lepra Aſturienſi: *iuvat mercurius, aethiops mineralis, antimonium, crocus martis, lac, butyrum, purgantia*. Haec utrum in Lepra Aſturienſi omnia proſint, cum morbum non viderim, haud edicam; ad Pellagram quod attinet, non omnia aeque tuta forent. De purgantibus iam ſupra dictum fuit. Mercurialia autem vario modo, variaque forma ſe ſaepius in hoc morbo adhibuiſſe, narravit mihi Cl. STRAMBI; aſt nunquam ſine damno, ideoque ea ex remediorum in Pellagra applicandorum numero iam dudum proſcripſiſſe. Idem de Opio tulit iudicium: quoties enim parca doſi

adhibebatur, effectum plane nullum exserebat; si maiori dosi adhibitum fuit, aperte semper nocuit. Attamen, ut vera fatear, Opium e pellagrosorum Pharmacia exulare non penitus posse mihi videtur; non quidem, acsi in curationem aliquid conferat; sed ut palliativum. Ad curandam pellagrosorum maniam frustra adhibetur, cum in aliis maniae speciebus a praeclarissimis viris adhibitum curam saepe absolverit; sic quoque in convulsionibus, quae tam enormes in hoc morbo observantur, parum ab Opio sperari posse, arbitrantur; verum in diarrhoea colliquativa nostris aegrotis adeo funesta, usus Opii negligi non posse videtur, praecipue si quantitate non adeo magna in anum iniiceretur. Hac enim methodo administratum colliquativam hecticorum diarrhoeam saepe diminuisse vidit Cl. COTUNNI (*a*), quam auxerat copia maior deglutita. Sequitur adhuc aliud remedium a Cl. FRAPOLLI in Pellagra summopere laudatum (*b*): aqua nempe Thaedae ad uncias circiter octo bis de die epota, a qua in confirmata etiam Pellagra curam speravit. Utrum adhuc cum fructu adhibeatur, ignoro; ne nomen quidem in Nosoco-

---

(*a*) *De Ischiade Nervosa* Neap. 1764. Vid. in Cl. SANDIFORT *Thesauro Diss.* Tom. 2. p. 437.
(*b*) Lib. cit. pag. 30.

niis Mediolani, Legnani &c. audivi, & cum FRAPOLLI Tractatum postea demum legere mihi contigerit, de hac Medicos interrogare in mentem non veniebat.

Finem nunc tractationi imponere possem; verum cum iam nominatus FRAPOLLI duas morborum historias adnexerit, in quibus methodum tradidit, qua confirmatam Pellagram funditus curavit, non ingratum Lectori fore, arbitror, si eas verbotenus hic transcribam, praecipue, cum FRAPOLLI libellus raro in nostris Regionibus inveniatur. Prima historia haec est: *Martha Borsanti loci Prignanae annorum 30. circiter, quatuor feliciter ennixa foetus, temperamenti sanguineo-lymphatici, habitus corporis mediocris; tribus ab hinc annis, neglecta iam pridem initiata Pellagra, incidit in confirmatum morbum. Aegram hanc curandam adivi in Nosocomio die prima Augusti praesentis anni. Explorata imi ventris viscera inveni sana, pulsus erat valde debilis, sed nulla febris, deerat quoque alvi fluxus. Vertigines aliaque capitis mala iam diu patiebatur, cutisque in dorso manuum praecipue & pedum callosa; attonita tunc videbatur mulier, non parum emaciata, viribusque destituta adeo, ut pedibus minime consisteret. Oris amaritiem, summamque inappetentiam accusabat, linguaque albam superficiem praeferebat. Leni igitur eccopro-*

tico aegrotam purgavi ex flor. Caff. , & pill. Succin. Crat. desumpto . Post ad triduum omni mane lactis serum tartarijatum exhibui , mixturas deinde corroborantes ex aq. Artemis. Meliss tot. Cit. ana unc. ij. *confect. alcherm.* ʒj. *Liq c. c. succin. scrupul.* sem. *per diem assumendas praescripsi . Hisce peractis , Balneo pellagrosam tradidi ; sed malo omine , Balnea etenim tollerare non potuit aegra virium defectu . Quamobrem extrinsecae universales corporis frictiones , extremitatum maxime , fomenta affectarum partium ex Decoct. emollient. , aliquando cucurbitulas , semel hirudines temporibus admoveri iussi , intus vero aquam Tahedae ad uncias* vij. *bis quotidie hauriendam praebui , usque ad novum monitum . Aqua Thaedae usa est patiens ad duodecim dies , miro quidem iuvamine : vires enim summopere recuperavit . Cum vero hisce remediis alvus plus , quam par est , styptica esset , Eccoproticum denuo propinavi die vigesima quinta eiusdem mensis , idemque vigesima septima reiteravi prospero eventu , continuatis interim frictionibus . Post haec , convalescente aegra , lautiorem diaetam , meraciusque vinum ad unc.* vj. *quotidie exhibui , exceptis carnibus , quae nunquam conveniunt in morbis impeditae transpirationis . Interea coepit mulier hilaris esse , corpus enutriri , sanusque color in facie efflorere , e lectulo surgere , ambulare , in omnibus*

bene se habere, laetaque tandem domum petiit die undecima Septembris. Altera historia haec est: *Ex ordine venerandi vigilantissimique Capituli Nosocomii maioris mihi tradita est, ut ei operam praestarem, Francisca Caiellina loci Vergiati, die tertia Augusti currentis anni. Foemina haec aetatis circiter annorum quinquaginta, temperamenti atrabiliosi, validi, carnosique corporis habitus, spreta iam diu initiata Pellagra, devenit hoc anno in confirmatam aegritudinem. Eadem fere enarravit Patiens morbi symptomata, ac Martha Bonfanti; pulsus tantum tardus erat, nec adeo debilis, viresque in reliquo corpore constantiores, in extremitatibus nullae. Purgavi & hanc consueto medicamine. Post aliquot dies sumendum exhibui decoct. Cephalic. cum Tinct. Succin., dein ingressa est Balneum aegra ad dies quindecim. Hisce confectis moestam adhuc foeminam esse, nec satis viribus pollere observavi. Quamobrem frictiones universales, saepe cucurbitulas adhiberi, semel hirudines temporibus admoveri, nec non vesicatorium occipiti applicari praescripsi, atque ex hoc potissime plurimum iuvaminis. Aquam Thaedae ad aliquot dies sumpsit aegra, corroborantes dein mixturas; cumque in dies mulier convalesceret, leniorem diaetam permisi, tandemque & ista abiit incolumis. Pertinacior autem fuit in hac foemina morbus ex pessimo temperamento, uti superius ad-*

notari. Adnectit demum, se adhuc plures referre posse aegros eadem fere methodo omnes curatos, Verum si adeo certa esset haec methodus: non tantum a Pellagra periculum metuendum foret, ac a Medicis Mediolanensibus minime negligeretur. Ideoque aut malignior hodie morbus est; aut FRAPOLLI nimium a sua methodo speravit.

De prophylaxi Pellagrae pauca disserenda supersunt. FRAPOLLI, dum ex insolatione sola omnem morbi caussam derivat; facile quoque remedium prophylacticum reperire potuit: effugiant nempe vernali tempore solares radios! Quod autem cum rusticis impossibile sit; tegendum corpus omni, quo fieri potest, modo suadet. Galerum gestiant agricolae palearem valde latum, crura caligis, manus tegant chiroticis, obluant saepius corpus. Verum cum supra, ni fallor, satis demonstraverim, hypotheticam esse hanc caussam, & in insolationem ad producendum dirum hunc morbum minime sufficere; cadit quoque haec prophylaxeos Doctrina, nec aliam substituere hactenus, quo caussae morbi adhuc latent, licet. Ideoque sic Pellagrae descriptionem ad finem perduco. An autem felici aut infeliciori conatu hunc laborem susceperim, tibi L. B. iudicandum relinquo.

Finis Noni Voluminis.

